Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MAUR. ANTONII CAPPELLERII

Phil. & Med. Doct.

ACAD. CAES. LEOP. CAROL. SOC. REG. LONDIN.

NEC NON

REIPUBL. LUCERNENSIS CENTUMVIRI,

PILATI MONTIS HISTORIA

IN

PAGO LUCERNENSI HELVETIAE SITI.

FIGURIS AENEIS ILLUSTRATA.

BASILEAE,

Typis & Sumptibus JOH. RODOLPHI IM-HOF & FILII.

1767.

Digitized by Google

Digitized by Google

MAURICII ANTONII CAPPELLERII

Phil. & Med. Doct.

Acad. Caeſ. Leopoldino-Carolin. Societ. Reg. Londin.

nec non Reipub. Lucernenſis Centumviri,

PILATI MONTIS HISTORIA,

Ab amico in lucem protracta atque Academicis Helvetiae Societatibus Sacra.

CAP. I.

Montis Situs, Nomen, Fama.

P*ilatus Mons*, qui extrema ſummarum Alpium in Septentrionem excurrentium propago quaedam meritò haberi poteſt, & in Auſtrum congeſtis ampliſſimis arduisque maxime montoſis tractubus ultimum veluti limitem conſtituit, in centro ferme totius Helvetiae erigitur: ea in regione, quae quondam, juxta GUILLIMANNI & OSWALDI MOLITORIS animadverſiones, JULIO CAESARI Verbigenus Pagus *Argeuw* vel *Argow*, inter Tigurinum & Aventicenſem medius, vocabatur; ac praeter circumjacentia alia etiam Civitatis Lucernenſis, & Sub- ac Super-Sylvanorum territoria comprehendebat, inter quorum fines Mons noſter, ceu terminalis

Digitized by Google

quaedam meta, ſitus eſt. Orientem verſus & Meridiem à ſummo ejus dorſo totus ad Super-Sylvanos ſpectat, ad Sub-Sylvanos altiores potiſſimum citra ſummum jugum, ſolis ortum & ſeptentrionem reſpicientes tractus; ampla vero acclivitas borealis usque ad imas radices, & ſupera etiam pars quae magis occidua eſt Lucernenſium limitibus includitur. Sed nos, quibus naturalem, nec de finium terminis civilem Hiſtoriam exponere propoſitum eſt, Limitum ductus, qui per Montem hunc confinantia Dominia diſtingunt, uti & eorum acquiſitionis jura, patriis monumentis relinquimus.

Cum porro *Pilati* epitheton Monti noſtro impoſitum ſit; nominum enim ratio in limine quoque exponenda nobis eſt, quemadmodum vulgato magis *Pilatus-Berg* elapſis noſtrisque etiam temporibus exteris & accolis apellatur, ex eo plurimis factum videtur, quod famoſus ille Lacus, ex quo emergere oſtentareque ſe *Pontii Pilati* huc conjurati Manes perhibebantur, in eo exiſtat, & ad imitationem conſimilibus fabulis magnificati alterius hujus nominis Montis in Gallia prope Lugdunum, quem Jo. du Choul apud Gesnerum *de Herbis noctu lucentibus* deſcribit, ita denominatum fuiſſe.

Sed merito Pilati nomen nec à Lacu, qui vix palus eſt, nec a ſpectro, quod unquam viſum aſſerere nemo poteſt, ſed Montis nomen in Lacum ipſum delatum, fabulisque ab etymo derivatis locum dediſſe ſuſpicamur; cum enim hanc regionem quondam paruiſſe Romanis Hiſtoriae nos doceant; iis ſaxea haec moles Pila non abs re dici potuit, ſive quod impoſitas nubes ut plurimum veluti ſuſtentet: ſive informem ſaxeam ſtruem excelſae ejus partes praefigurent; unde tandem Pilati Nomen.

Potuere & ii jam tum temporis in latinam civitatem relato vocabulo *Pyla*, quemadmodum caeteras Montium fauces, anguſtum apud Montem tranſitum inter *Burgen-Berg* & *Lopper-Berg*, per quem vel Lacus fretum pernavigando vel Montis

Montis inferum jugum, nunc *Rengg* dictum per hiatum tranſcendendo, ad Veragros, Sedunos & Viberos, ac ex iis in Galliam cis- & ultra-Alpinam acceſſus aperitur, vocare: atque exinde Monti barbara adjectione *Pilati*, verius *Pylati*, (quemadmodum ab aſſiduo Patriae noſtrae memorabilium Collectore RENWARDO CYSATO ſcribi conſuevit) nomen accreſcere. Sunt denique qui a *pileo* nomen derivare malunt, quia ſummus ejus Apex nubibus ceu galero multocies tegitur, veluti Volones illi Romani apud LIVIUM, lana alba velatis capitibus.

Verum quidquid de nominis hujus origine ſit, in rerum iſta incertitudine malumus jam vulgatum retinere: praeter iſthoc alio adhuc gaudet itidem antiquiſſimo ab Romanorum quoque idiomate derivato, eique per ſuccinctam deſcriptionem indito: *Fract-Mont*, *Frack-Munt*, ac ſi diceres Mons fractus. Denominationis hujus rationem facile colliges, ſi montem reſpexeris; oſtentat enim immanes praeruptosque ſcopulos delapſis undique ruinis denudatos. Illuſtres Scriptores ejus ſub hoc nomine meminerunt, VADIANUS, MUNSTERUS, GESNERUS, KIRCHERUS, aliique.

Tanta enim erat ſuis temporibus Montis fama, ut qui mirandis, fidem transcendentibus, & inauditis ut ajunt, rebus miraculisque conſcribendis famam aucupari intendebant Pilatum montem inter hiſtoriolas ſuas non poſtremo loco induxerint, veritatis diſpendio, ex deſiderio mirabilia dicendi, ut SCALIGER de FLORO.

Meminit jam Pilati manibus infeſtati A°. 1273. CONRADUS de MUR Canonicus Tigurinus, quem ille quidem Septimum ſic nominatum in Rhaetia eſſe tradiderat in ſuo Fabulario; ſed qui ei coëtaneus fuit, vel mox ſubſecutus eſt, JACOBUS de VORAGINE, quem A°. 1298. Archiepiſcopum Januenſem obiiſſe conſtat, locum in confiniis Lauſanenſis Dioeceſis indigitavit: *Tit. de Paſſione Domini*, in *Hiſt. Lombard.*

 Sanctor.

Sanctor. quo nuſquam ſine accolarum moleſtiis tranquille quieſcens iniqui illius Praetoris cadaver delatum fuerit, & intra puteum montibus circumſeptum, demerſum; an vero noſtrum hunc Montem innuerit, pro certo ſtatui non poteſt; Conrado autem Gesnero, in ſua Montis deſcriptione, vix dubium eſt, Jacobum de Voragine de iſto ſenſiſſe: qui etiamſi ad Lauſannenſem Epiſcopatum non pertineat, ea parte qua Palus continetur, illi tamen vicinus eſt, & Meridiem verſus veteres dioeceſeos illius terminos ingreditur.

Qui porro circa medium decimi & quinti Seculi vixit Felix Malleolus, Praepoſitus, uti de ſe ſcribit, Solodorenſis & Cantor Turicenus: *de exorciſmo tractatu altero Pag.* LXXVI. primus expreſſè magis hunc, de quo ſcribimus, Montem, ceu potius dictum in eo Lacum Pontii Pilati ſepulturam eſſe evulgavit: ſemel quidem loco mox adducto, ac deinde etiam in *Dialogo inter Nobilem & Ruſticum Cap.* XXXII. *pag.* cxxvi. *a.* Poſt Malleolum, ceu ex fonte, fabuloſus Montis rumor optimorum etiam aliquot ſcriptorum libros irrepſit. Sebastianus Munsterus Coſmographus non obſcurus, qui ante medium xvi. Saeculi claruit, quae de Monte acceperat, vana vel falſa, haud palans, *L.* iii. *de Germania. Cap.* 73. recenſet. Idem quoque agit & Stumpfius *in Chronico L.* vii. c. 5. & veluti ex profeſſo his coëtaneus Joachimus Vadianus Sant-Gallenſis Medicus & Vir Conſularis: in *Commentariis ſuper* Melam *L.* i. *Tit. Cyrenaica:* qui Montem ex propria autopſia deſcribit, quem colligere eſt Ao. 1518. aſcendiſſe, comitante eum praeter Conradum Grebelium Tigurinum, & Joannem Xylotectum hic Lucernae Canonicum, Oswaldo illo Myconio alias Geishaeusler tum adhuc apud nos paedoſcholarcha. Sic autem Vadianus: „ Verum „ ſit nec ne, quod de memorato Lacus ingenio conſtans acco„ larum fama circumfert, ab injectis nempe ſi de induſtria id „ fiat, maximas tempeſtates ciere, & omnia undis opplere, „ nec nunc quidem dixerim, ac ne ſi licuiſſet quidem id facere „ ſine magno diſcrimine potuiſſem, ſed pleraque tamen ut

„ reci-

„ recipiam, multorum experientia & auctoritate deprehenſa,
„ confirmataque naturae miracula omnibus in partibus ejus
„ inſignia movent: ut interim non referam eum mihi loci ge-
„ nium viſum eſſe, qui in loco praeſertim tam edito haud
„ difficile natae de ſe famae reſpondere poſſit. „

Inter praeclaros magis Scriptores VADIANUM exceperunt CONRADUS GESNERUS, VARRO ille, vel ſi vis PLINIUS Germanicus, ac feliciſſima praxi medica celebris FELIX PLATERUS, qui ambo Montem conſcendere, ille quidem Ao. 1555. quo vero alter, non conſtat, & ſingularibus libris eundem deſcribere dignum crediderunt. GESNERUS ſuum eodem anno edidit, direxitque ad JOANNEM CHRYSOSTOMUM HUEBERUM tunc Lucernae Archiatrum, & celebrium in Bavaria Medicorum Proavum, linguarum orientalium & ſacrae peritia laudatum. PLATERI vero ſcriptum hucuſque latuit, licet abſolutum jam 1580. ſuperius laudato CYSATO ipſe affirmaverit, uti iſte teſtatur *Collectaneorum ſuorum Mſc. Tomo C. p.* 218. *b.*

Celebratus tantorum virorum monumentis Pilatus, brevi tempore illum plurimi, & ii maxime, qui per incredibilia ſibi fidem augere ſatagebant, in Scripta ſua tranſtulerunt, fabulasque de eo avidius, quam quae vera eſſent, diſſeminarunt; ita ut LEOPOLDUS CYSATUS prioris Nepos, jam A. 1661. in *Deſcriptione ſua Lacus Lucernenſis, p.*252, tredecim eorum, haud omnino non illuſtrium, ſe inſpexiſſe tradiderit, quos inter, at modeſtius quidem, ſuccenſere VADIANO videtur, utpote fabuloſae hiſtoriae non obſcuro propagatori: quod idem & antea GESNERUS fecerat, qui tamen reffert Virum illum doctiſſimum & pietate clarum, opinionem, ſeu dubitationem potius, poſtea depoſuiſſe. Immitius autem CYSATI reprehenſione illa excitatus ELIAS LORETUS apud ATH. KIRCHERUM *in Mund. ſubterr. Tom. II. p.* 114. in eundem clariſſimum MELAE Commentatorem & ipſius Montis autoptam invehitur, quaſi plus vulgi fabulis, quam experientiae „ ceu
„ qui fumum vendunt, & Diogenem Cynicum imitantur,
„ inſtar aegyptii pulli & cochleae domiportae (ac ſi Mon-

 „ tem

„ tem nunquam adiiſſet) inniti maluerit; „ mox autem ipſe Loretus, ingentia ſcribere cupidus, creduli & non experientis notam ſibi contrahit, antiquae ſuperſtitionis tenacibus bubulcis fidem ſaltem aliquam praeſtans, ait enim „ Ad tempeſta„ tes ex injecto in Pilati Lacum lapide oriri ſolitas, quod attinet, „ non auſim quidquam ſtatuere „ alia adhuc ſubnectens rancidam fabulam olentia circa quae vix haeſitare videtur, cum tamen ab erroribus ejusmodi tum Montis ipſius inſpectione, quem adiiſſe ſe & calcaſſe dicit, tum laudati Cysati ſcripto, e quo vix non omnia in ſuam relationem conſarcinavit, liberari potuiſſet.

Sunt autem de Monte frivole magis, audaciusque ſcripta & in orbem venditata ac leviter nimium accepta & credita, quae quantum fieri licuit in compendium contraximus, ſequentia: etenim ſimilibus immorari diutius haud noſtrum:

Turpe eſt nam futiles habere nugas,
Vanusque labor ineptiarum.

Poſtquam Pontius Pilatus a Tiberio Caeſare, illi ob male exercitam Provinciam irato, & ex eo maxime, quod Salvatorem noſtrum Judaeis crucifigendum tradidiſſet, Romam fuerat evocatus, illic ex maerore manus ſibi intra carcerem intuliſſe violentas perhibent. Sub Caligula ſcribit Eusebius *Hiſt. Eccleſiaſt. L.* II. *c.* VII. (Otto Frisingensis *in Chronico Lib.* III. *c.* XIII. relegatum Viennam Galliae diem obiiſſe tradit, ubi etiamnum rudera oſtenduntur caſtri, quo is detentus fuerat) ajunt etiam ex eo mortem voluntariam illum praevertiſſe, ut ſupplicium, ad quod a Caeſare damnatus fuerat, evaderet, addendo circumſtantias quasdam oppido mirabiles, ſed qua auctoritate ignoro, ajunt enim antequam ſe ſiſteret Caeſari Pilatum, ne ab illo durius haberetur, veſtibus ſuis ſubinduxiſſe Chriſti tunicam inconſutam; Tiberium advenienti aſſurexiſſe, omnique furore poſito, eum excepiſſe humaniter, nec ſine honore dimiſiſſe: mox autem ubi abierat, ita recruduiſſe Caeſarem, ſceleris perpendendo atrocitatem, ut mox Pilatum revocaret,

Digitized by Google

vocaret, ſed rurſum ad ejus conſpectum iram omnem excidiſſe animo, nec minus benevole preſentem habuiſſe; cumque id per plures vices, non ſine ſtupere adſtantium accidiſſet, ex furibundo, ad Pilati praeſentiam, Caeſarem derepente mitem & placatum reddi, innotuiſſe illum ſub veſte Tunicam Chriſti geſtare, quae eam habebat vim iram Caeſaris exarmandi, qua exuto Pilato, verſum in indignationem Caeſarem, capitalem in eum ſententiam fulminaſſe. DIDACUS VEGA in *Pſ.* I. *Pœnit. Conc.* I. PELBART *de SS. in feſt. S. Andreae.* JUNGEN *p.* 63.

In Tiberim porro dejectum cadaver mox malos daemones circumſediſſe referunt, qui Romanis tonitrua, fulgura, tempeſtates, imbres, grandineſque, & neſcio quae alia, moverint; hinc itaque protractum Viennam fuiſſe deportatum, illicque Rhodano ſubmerſum; ſed quia easdem quas Romae Turbas excitabat, Viennenſes Loſannam detulerunt, cumque & iſthic Antei inſtar, iisdem moleſtiis gravis eſſet Pilatus, tandem Paludi noſtrae Montis commiſſum eſſe aſſerunt, vel fabulantur; ſed nec hic quidem impune; tempeſtates enim, exhydrias, aquarumque inundationes, quae quidem ex naturalibus cauſis circa Montem fiebant, ut ſuo Loco dicemus, damnatas illas reliquias concitáre diu credebatur: imo aliquando non Palude tantum, ceu propria ſepultura, ſe contineri Pilatum paſſum eſſe, ſed Montem inſtar horridi ſpectri pervagaſſe, hominibus armentisque infenſiſſimi. Adveniſſe poſtmodum Roſeae Crucis Acherunticum Fraterculum ſeu Scholaſticum vagantem, *Fahrender Schuler*, uti vocabantur Magi Salamanticae Scholae Diſcipuli, & Druidarum reliquiae, quemadmodum GESNERUS *Epiſt. L.* I. *p.* 2. opinatur, cujus artibus Pilati Daemonem in priſtinum barathrum conjuratum fuerit: Ajunt autem inſtitiſſe Magum, cum Exorciſmos ageret, primo ſummi Montis vertici occiduo, è quo Spectrum velut ex ſpecula multocies ſubjectam regionem circumſpicere viſum fuerit; titubare propterea in perpetuam hujus rei memoriam illum usque hodiedum Lapidem: deinde alteram ſtationem habuiſ-

Digitized by Google

habuiſſe Magum in jugo *Widerfeld*, atque exinde aream gramine omni denudatam, adhuc ſpectandam remanſiſſe.

Ne autem moras in paludem remeandi Pilatus traheret, Scholaſticum vagantem ſubdidiſſe ei Daemonem ceu equum, cujus ungulae veſtigium perhibent eſſe ſemilunarem cavitatem in ſaxo non longe a Palude exſtante videndam: addunt praeterea eas leges impoſuiſſe ſpectro, ut poſthac non niſi die Veneris ſancto, quod quovis anno fieri perſuaſum habebatur, e Palude emergeret, & praetoriae ſellae tanquam pro Tribunali inſidens, ſe oſtentaret: nec unquam alias quam evocatum, aut ſi homines quietem ejus aliquomodo turbarent, infenſum eſſet. Ex hoc factum ut ſubortae ad Montem procellae propterea eveniſſe crederentur, quod Pilati Manes irritaverit temerarius aliquis parcus Deorum cultor, & contemptim injectis ſordibus ſtationem ejus contaminaverit, patientis ceteroquin, ſi vel caſu vel ab armentis ſua turbaretur Lacuna.

Quam infamis fuerit proptera Locus iſte, ex Paracelsi Divis, quibus ſui temporis Medicos illos Aſtrologos, & cum illis ſuperſtitioſas Venaeſectionum electiones, non ſine Artis ſalutaris dedecore etiamnum ab aliquibus cum ſtolido vulgo obſervatas, inſequitur, colligere licet; cum idem fuiſſe videatur in ipſum Orcum vel in hanc Paludem devovere, ſic enim ille in Praefatione *Paragr.* „ Quidquid inter „ utrumque Polum continetur, id mihi auxiliarit, ut Aſtro„ nomiam iſtam, ac phlebotomandi Ephemerides in Lacum „ Pilati ſubmergam. „

Mirum! commenta haec tam firmiter hominum opinionibus fuiſſe per ſaecula aliquot irradicata; erat autem hoc torpidis illis temporibus, quae non inepte, qui de eorum apud nos ſuperſtitioſa credulitate & fabuloſis miraculis etiam amarè conqueritur Renw. Cysat. *Tom.* B. *p.* 97. Paganiſmi ſuperſtites reliquias ſchidia ramentaque vocavit.

Manda-

Mandatis itaque proviſum erat, ut a Stygi hujus ſacrae Paludis acceſſu quivis profanus & temerarius arceretur: juramento conſtringebantur, qui proxima paſcua aeſtate incolebant Pecuarii, ne quemquam ad Paludem admitterent, viamve monſtrarent; mittebatur iis propterea a Magiſtratu noſtrae Civitatis Veris adventu Apparitor, qui illud exigeret, cujus conſtitutam mercedem dietim florenum rhenanum fuiſſe in Archiviis legimus; mercedem ſatis grandem pro temporum illorum pecuniae paenuria. Edictum quoque erat, ne ex Urbe quisquam illuc ſine praevia licentia, quae haud facile obtinebatur, aſcenderet. Non equidem conſtat quemquam, qui juſſa transgreſſus erat, capite mulctatum, uti Stumfius *l. c.* & poſt eum alii ſcripſere: illud tamen certum eſt ſerio cum iis aliquando actum fuiſſe: Teſtis ſequens juridicus Actus: A°. 1307. „ die Dominico poſt Laurentii, hora nona in „ ſtupa Conſulum hic Subnominati Clerici, Joannes Machofrid de Gengenbach, Joannes Brunollwer de Uberlingen, „ Nicolaus Bruder de Thurego, Ulricus Gurtler de Lentz„ burgo, Rudolphus Nitwe & Joannes Kathſinger, ambo „ de Lucerna: juraverunt Urvediam ſuper captivitate qua fue„ runt detenti, pro eo quod aſcendere volebant Cacumen „ Fracti Montis, & ad Lacum Pilati. Et nihilominus Cives „ non impetere, cum alienis judiciis per motum proprium, „ ut donativum: preſentibus Joanne & Petro de Moos, Ni„ colao de Eich, Rudolpho de Root, Hartmanno de Stanz, „ Rudolpho de Gattwil, Arnoldo de Emmen, Joanne de „ Geſtillon, Nicolao Muri, omnibus Ordinis Conſularis, „ & Friderico Schulmeiſter Secretario. „ Haec ad Litteram ex Renwardi Cysati *Tom. C. p.* 250.

Circa medium tandem xvi. Saeculi omnino concidere occepit apud nos vacillans jamdum Pilatini Spectri fama, cum Viri ſcientiis & religione praeſtantes rem omnem vanam fictamque tum ratione tum experimentis commonſtrarent. Solemne fuit quod reverendus Magiſt. Jo. Mullerus Eccleſiae Lucernenſis Decanus & Plebanus A°. 1585. inſtituit. Conſcenderat is cre-

bra cujusvis ordinis Civium caterva ſtipatus Montem, & lacuna latitantem, ſi quis eſſet, Daemonem, tum quae ad manus eſſent injiciendo, camerinamque turbando, tum probroſe & convitioſe inclamando: *Pilat wirff aus dein Kath*, caenum tuum diſperge Pilate, quod piaculum antea habebatur, proritare ſtuduit: ſed omnino impune, nulloque aliquo ſiniſtro effectu; imo hominem juſſit decuſſatim transvadere, quo conſtitit illam, nec in abyſſum, voraginem, aut in immenſum, uti perhibebatur, puteum abire, & qua profundiſſimae aquae eſſent, haud ultra coxendicem aſcendere. Voluit etiam laudatus, ne in poſterum fabulis anſa foret, ut Palus ſuffoderetur, quod & Magiſtratus edixerat, ſed incepto operi loci difficultas obſtitit.

Videtur autem commenta non parum foviſſe ſitus ipſius Paludis, intra umbroſam annoſarum arborum ſylvam, ceu ſacro quodam luco, abdita ipſius tetra. Averni aemula, aqua: deinde etiam aliorum circa montem Spectrorum fama, majore profecto, quam Montis Gigantei Rubenzal. Finem dicendis vix reperirem, ſi quae narrantur de iis exponere mihi eſſet impoſitum. Memorantur nocturni equites magnis turmis per fragoſas rupes reſonante horrendo, & concutiente omnia, ſtrepitu, ſurſum deorſumque curſitantes. Dicunt aliquando venatorium quoddam Spectrum, *Tuerſt* vocant, veluti praedam inſequeretur, Alpes pervagare, medio inter ipſa paſtorum domicilia, aut quae diſpergit armenta, excurrens; latratu adeo incondito ut capilli audientibus rigeant. Saepius item aparere Virunculos montanos pumilis ſtaturae, prolixis caneſcentibusque capillitio & barba: horum aliquibus illud eſſe ingenium ut feras cuſtodiant, venatores de numero occidendarum admonentes: ſi transgreſſi fuerint vindictam ſumere, eos quovis modo vexare, imo humeris inſilire, concutere, aliquando & rupibus dejicere; ex illis e contra alii, ſi benigne habeantur, opem hominibus ferre: conſtansque fama eſt, nec adeo antiqua, in Alpe *Rengen* foenum colligantibus operam adjuvaſſe: non infrequenter etiam accidere, ejusmodi virunculum circa primam noctis

noctis vigiliam apparere paſtoris veluti habitu, pera ſalaria humeris ſuſpenſa, dextra praelongam virgam tenentis; abigi porro ab eo inclamante vaccas, & in aëra pedetentim ſuſtolli, ac tertio demum die ſuis iterum paſcuis emunctas & vix ſemivivas reſtitui. Aliquando contigiſſe, ut ſupervenientium pecuariorum, jam in altum elevatae vaccae, clamoribus & ſolitis praecatiunculis revocatae, mox iterum placido lapſu terrae reſtitutae fuerint.; conferatur Celeberr. SCHEUCHZERI locus: *Itiner. Alpin. V. p.* 413. Solemne hinc eſt, ut ſimilia ludibria à paſcuis ſuis armentisque avertant, paſtores, ſub veſpertino crepuſculo alta voce benedictorias praeces inclamare: quas quidem non juxta rigidiorem orthodoxiam, ſed ſanctam intentionem, ruſticum ingenium Alpicularum, armentis ſuis ferme, quam hominibus ſimiliorum, concinnavit. Addo formulam, quam in Alpe *Frohſtaffel*, quae Pilatino lacui proxima ſubjacet, paſtori eam recitanti aſſidens, connotavi.

„ ☩ Ho-ho-ho-oe- ho-ho-oe- ho-ho. Ho-
„ Lobe - ho - Lobe, nemmet all tritt in Gottes namen Lobe:
„ ho - Lobe nemmet all tritt in unſer Lieben Frauen namen
„ Lobe: Jeſus! Jeſus! Jeſus Chriſtus, Ave Maria, Ave Maria,
„ Ave Maria. Ach Lieber Herr Jeſus Chriſt, behut Gott allen
„ Leib, Seel, Ehr, und Gut, vvas in die Alp gehoeren thut.
„ Es vvalt Gott und unſere herz liebe Frauvv; Es vvalt Gott,
„ und der heilig Sant Wendel; Es vvalt Gott, und der heilig
„ Sant Antonj; Es vvalt Gott, und der heilig Sant Loy. Ho-
„ Lobe nemmet all Tritt in Gottes Namen Lobe. ☩ Addunt demum Pater noſter, Salutem Angelicam, Crede &c. & Sancti Joannis Evangelium. C. I. v. 1 -- 14.

Sed miſſa ſint haec; praeſertim autem nocturni Lemures, Portentaque Theſſala, quae Montem quondam pleno Choro, veluti Muſae cum omnibus pediſſequis Parnaſſum, & Satyri Veſevum, ſed diſpari fama, obſidere ſunt credita. Eum jam ludibriis illis liberum imperterriti accedamus, arduamque ejus & anfractuoſam Regionem ſine virium jactura, ſine moleſtis ſudoribus & anheloſo tranſcurſu, his pagellis exhibitam undequaque luſtremus.

CAP. II.

Deſcriptio Montis Geo-Topographica.

ORationis exoſae prolixitati non modicum adimi, & econtra conciſus etiam ſermo plurimum ſolet illuſtrari, ſi abſentes res earum figuris, quantum licet praeſentes reddimus, ſiquidem

Segnius irritant animos demiſſa per aures,
Quam quae ſunt oculis ſubjecta fidelibus.

Quapropter, priusquam Pilatum deſcriptione proſequamur, ejus ut ad plenariam cognitionem a nobis nihil deſideretur, faciem pictura exhibemus. quam ille variam, & plusquam Jani bifrontis variis plagis obvertit, & oſtentat; ut pateat veluti--- depicta Tabella, vita Senis: (Vid. Tab. I. & II.) ejus ſimul Ichnographiam, adjuncta etiam proximiori vicinia, oculis ſubjicientes; utque confuſio, hujusmodi deſignationibus propria ſed moleſta, evitetur, nomina circum circa margines occupant & deductis lineolis objecta indigitantur. (Vid. Tab. III. Tab. IV.).

In

Nota ad Tab. IV.

De Topographica hac Tabella ſummas debeo gratias, & mecum Honorati Lectores omnes, Illuſtriſſimo Strenuoque Chriſtianiſſimi Regis *Campi Mareſchallo* vel *Locum tenenti Generalis Copiarum militarium & Cohortis Helveticae Tribuno*, *atque Conſultiſſimo Senatori Lucernenſi*, qui ex ſua redundanti humanitate eam plurimum ampliavit, ſupplevit, correxit, & exactiorem reddidit; quod quidem ille, ſi quis alius praeſtare potuit, ex eo maxime, quia non duntaxat Montis, ſed & ampliſſimam circumjacentis territorii partem, tam topographice quam ichnographice juxta acerrimas Geometriae leges adeo belle, adeo accurate, oculis ſubjecit, ut nihil exactius poſſit: * ſcopulis, rupibus, terris apricis, vel ſylvis aut arboribus obſitis, cum rivis

In Helvetiae propemodum meditullio ſitum eſſe Montem jam diximus; poſitionem autem ejus geographicam, ad omnem notitiam nullatenus negligendam, quae illi in Globo iſto terraqueo contigit, adſtipulante chorographica Helvetiae Tabula D. G. de L'Isle, aſſignamus ſequentem: Ab Aequinoctiali Circulo in Septentrionem removetur 46. gradibus & minutis 51. a primo autem Meridiano in Orientem jacet ſub 20. gradu, itidemque 51. minutorum diſtantia; ſitus itaque eſt paulo cis medium Zonae temperatae, & ad initium VIII. Climatis, ſumma aeſtate die gaudens 15. horarum cum dimidia, atque hora 1. minutis 44, & 24. ſecundis prius Sole illuſtratur, qua *Ferri* Inſula, limite ortum & occaſum dirimente Galliae Geographis ſacro.

Jugum ejus ſummum ad 8000. paſſus geometricos longum eſt: emergit autem qua parte Sol oritur praeruptis & arduis cautibus *Lopper-Berg* dictis è Lacu Lucernenſi, quo ex altera ripa ad Ortum ſitis Montibus *Rozberg* & *Burgen*, qui cum aliis itidem praealtis, verſus Euro-Auſtrum, & Meridiem, in Subſylvania ſe attollentibus, veluti concatenantur, ſtricto ſatis freto reſcinditur. Primo quidem ejus jugum in Occidentem hybernum 2500. circiter paſſibus rectâ quaſi excurrit, ſed deinde in Occidentem aeſtivum inflectitur, imo in Auſtro-Africum, ubi jugum humilius paerumper, ei Montium tractui connectitur, quo ſub aliis aliisque denominationibus, Su-

per-

rivis & torrentibus, imo lacubus, deinde & callibus juxta tuguria, domos, caſas, Vicos, pagos, Oppida, imo & Urbem Lucernenſem, quam proxime juxta omnem naturam, clivoſitatem ac planitiem, exhibuit; idque profecto non ſine ſummis laboribus & ſedulitate; Montem & enim undequaque creberrimis excurſionibus luſtravit & perluſtravit, & acceſſus & ſemitas, perquos facilius conſcendi poſſet, adeo perveſtigavit, notasque ſibi reddidit; ut & Nobiliſſimas ac Andròmachas Matronas, quas inter Lectiſſima & Generoſiſſima quoque ipſius Uxor, in ipſum Montis apicem eduxerit. Quid non Viri, quid non Milites audebunt; quo non ibunt, quanta non aggredientur, tanto animati Duce?

* v. *Cl.* Th. E. de Haller *Verſuch eines crit. Verzeichniſſes aller Schriften welche die Schweitz betreſſen &c. P. V. p.* 268.

per-Sylvanos ab Entlibuchanis noſtris diſterminat, ac longo altoque jugo propagatur, donec tandem iis Montibus Bernenſis Dominii, ad quorum imum Arola Fluvius ſuas undas urget, quique Lacum Brienzenſem verſus Boream vallant, innectitur.

Praeter primarium & ſummum jugum alio adhuc gaudet Mons veluti ſecundario; eo enim ultra mediam longitudinem ceu vallo cingitur. Initium ei eſt ex orientali Montis regione, & in Africum dirigitur, altum iſthic, & primario jugo parum humilius, deinde in Occidentem torquetur ſummo dorſo veluti parallelum, ſed jam interruptum & magis depreſſum, donec tandem omnino in clivoſitatem Meridiem verſus inclinatam abſcedat; ſtricta vallis intra utrumque jugum media formatur, ſed ea veluti duplex propterea quia pars ejus in Orientem clivoſa eſt, alia in Occidentem procurrit, dorſo quod a ſimilitudine Aſini vocant, anerius & poſterius jugum connectente diviſa; utraque ſuo rivulo gaudet, quovis contrario curſu intra ſuam vallem defluente.

Qua parte Pilatus ſummus eſt, nudas oſtentat, ſqualli-dasque è ſuperis radicibus emergentes rupes, praecipites ubique immaneſque ſcopulos Coelo obvertens; horrida profecto facie, utpote dirutus, ruptus, confractusque; unde & illi etiam adnatum ut ante innuimus, *Fracti Montis* nomen. Alicubi utrinque omnino inacceſſi ſunt ejus Apices, & tam qua Meridiem quam qua Septentrionem reſpicit a ſummis cacuminibus, vel ab attenuato in longam aciem veluti dorſo immanibus praecipitiis abrumpitur: inprimis autem in Boream ubique ferme perpendiculares oſtendit altiſſimos parietes, ex altero enim, Auſtro obverſo, latere, herboſo quidem ſed difficili clivo, hinc inde in imam vallem deſcendit, per quam concitato lapſu torrens, *Schluren* dictus, ruit.

Ubi praecipites magis ſcopulos habet, qui ardentibus Solis radiis, deinde gelu, nive, imbribus, atque ventis urgentur,

Digitized by Google

tur, recentes ſaepenumero fiſſuras & rimas agit, & immania ſaxa, impetuoſo & alto lapſu in millena fragmina diſrupta, hinc inde longo tractu inferiora complent: *Riſenen* vocant, latine Ruinas dicimus, transverſum quas iter difficillimum & periculo plenum; ſubtus enim angulata impoſitaque comminuta ſaxa ex ambiguo quieſcentia minimo attactu denuo ad lapſum agitantur, totumque pedibus ſubſtratum ſolum illico praeceps ſublabitur; hinc nonniſi ſociis int ransverſam lineam, uno retro alterum diſpoſitis, cautiſſime praetereunda haec loca, ne excitatis lapidibus ii, qui per inferiora viam tentarent, vel obruantur, vel in profunda undequaque contuſi, in ipſum ſimnl Orcum abripiantur.

Secundarium porro jugum ex meridionali latere, licet non altum adeo eodem modo, qua Boream reſpicit, abruptum & ſcopuloſum, ſquallidum altumque parietem oſtendens; quod tamen ex oppoſita regione auſtrina nimirum acclive & herboſum; haud aliter profecto, quam ſi montanae hujus molis pars meridionalis in ima ſubſederit, ſupera interim qua rupta eſſet, in altum ſe attollente; hujus jugi portio orientalis, quae veluti altiſſimum vallum quoddam, Euro-Auſtro objectum, Pilatum eo latere claudit, minus ruinoſa ſpectatur; ejusque ſuperae rupes integrae magis ſunt, nec adeo minutatim fiſſae; imo dorſum iſtud longo tractu horizonti eſt ferme parallelum; quemadmodum etiam juxta longitudinem acclivi lateris ſpectandae prominentiae, quibus fertilis terra hinc inde inſtrata, alpeſtria paſcua conſtituit, itidem juxta horizontalem extenſa, clivo plus minus verſus radices inclinato; haud deſunt tamen ſaxa longitudinem hujus dorſi conſtituentia, & ſtratim ſibi incumbentia, quae Orientem verſus ſe attollunt, & qua Occidens eſt inclinantur, ita ut & iſthic quoque colligere liceat, corruentis Montis molem in Occidentem quoque ſubſediſſe, quod & abunde deducitur, ex aliarum illius rupium ſtructura, quae hujusmodi ſitus ſtrata, ex Occidente videlicet ſurſum in Orientem directa, oſtendunt.

Quod

Digitized by Google

Quod ſi jam duplicem iſtam reclinationem, videlicet è Septentrione in auſtrum ad inferiora, & ab Oriente etiam ex alto in imum verſus Occidentem, conferre libuerit, concludamus neceſſe eſt: juxta mediam directionem intra Aquilonem & Subſolanum, nempe verſus Affricum in ima prolapſam fuiſſe, potiorem Montis noſtri ſtruem. Cumque hic illicque in ſummis Pilati rupibus etiam marinorum animalium exuviae, non quidem ſolitariae & ſeparatae, ſed ſolidiſſimis petris immerſae occurrant, ſequitur ab aquis marinis ſummas iſtas rupes, aliquando fuiſſe congeſtas, limumque exſtitiſſe, quod modo ſaxum & potiſſime calcareum eſt.

Radices Montis quae verſus Meridiem, & ex orientali latere ſunt, quarum priores ad ſupra memoratum Torrentem *Schluren* terminantur, illae vero in ipſum Lacum merguntur, haud late ſe extendunt, & ex ipſius Montis ruinis productae eſſe videntur, quemadmodum & ſeptentrionales, ſed hae amplum ſpatium occupant, nec tam clivoſae & adeo inclinatae longinquius, & ad 3000. paſſus geometricos, ubi latiores ſunt; Montem circumdant, antequam infimis planitiebus confundantur, aut ſe aliis montanis tractibus collibusve commiſceant; habet autem ſe harum radicum altitudo, Montis denudatae & ſcopuloſae partis reſpectu, in proportione propemodum ſesquialtera ſeu ut 3. ad 2.

Tota vero Montis altitudo, qua ſuper marino horizonte eminet, utpote qui infima terraquei globi ſuperficies merito reputatur, quantum ex obſervationibus ſuo loco exponendis innotuit 6500. pedum, ſuper Lacum vero Lucernenſem 5100. ad minimum erigitur: ita ut non altiſſimis quidem accenſeri, ſed altiores inter montes referri merito debeat Pilatus. De amplitudine ejus ſtatuere licet ex chorographica Tabella. (Vid. Tab. III.)

Haec quidem eſt Montis facies, & qui hodie cernitur ſtatus, ſed eundem hujusmodi ab omni aevo neutiquam fuiſſe pau-

paulo ante innuimus; imo cum frequentes hodiedum ruinas agit, ac imbrium torrentiumque eluvionibus eroditur, rupes, ſaxa, terrae, ſabulum, quotidie deferuntur, valles profundius excavantur & clivoſa pedetentim in ima ſublabuntur, aliam oſtendiſſe faciem ante Saecula aliquot, diverſamque fore poſt alia ſane arguitur: hujusmodi enim mutationes indies futuras non duntaxat ruinoſa illius ſtructura promittit, ſed & quae à Patrum memoria acciderunt, confirmant; conſtans enim traditio eſt intermediorum montium aliquorum altitudines ſubſediſſe, & nunc ex aliqua noſtrae Urbis parte detegi ſummum *Petrae* ſic dictae *titubantis* apicem, qui ante luſtra aliquot fuerat obtectus, hujusmodi exempla & alia in Helvetia proſtant, ſeque hodie loca quaedam invicem cernunt, quorum praeterita aetate interjecti montes mutuum aſpectum impedierant. Sed hae quidem mutationes minoris ſaltem momenti ſunt, quaeque non admodum variatam Pilati faciem aliquot Saeculorum decurſu induxere; arguit ruinoſus ejus anfractuoſusque ſtatus maximas aliquas, quae in ipſa ejus primigenia formatione accidere; ſed rem iſtam cum altius nobis repetenda eſſet, & a primaeva montium fabrica deducenda, utpote qua nimium extra oleas duceremur, jam miſſam facimus, ſpecialiorem Montis deſcriptionem, Verticum videlicet & Radicum, preſſius proſequentes.

Summo Montis jugo, attenuata veluti acie ex ortu in occiduam plagam protenſo, hinc inde alta praeruptaque cacumina ſupereminent. Primum ex his eſt, poſtquam è Lacu emergens jam ſublimius aſſurrexit, quod *Steigli-Haubt* nominant: paulo infra illud dorſo rupium adhuc Abietes increſcunt, quibus reliquum Montis ſuperum jugum, ut & vix non alio frutice, caret. Tranſitus hic eſt ſed difficilis, quo alpiculae ex meridionali latere in ſeptentrionale & viciſſim commeant. Aſſurgit porro dorſum variis itidem exſtantibus ſcopulis horridum; quod *Windeg* a ventorum iſthuc colluctantium impetu dicunt, ad ſummum totius Montis culmen *Frac-Mont-Gupſe* vocatum: cui mox in occidentem

Digitized by Google

ſuper ſummo dorſo parva quaedam planities adjacet, 30 vaccis circiter Julio Auguſtoque pabulum praebens; eſt in ejus medio ſtagnantis ſed haud faculentae aquae Lacuna , potui armento ſerviens, ad planitiem hanc ſummam ex meridionali Montis latere tantum acceſſus eſt ab Alpe *Matt*; porro ex iſta planitie ad altiſſimum quod diximus faſtigium aſcenditur conoidis inſtar undis rupibus figuratum. Qui deinde ſequuntur ſummi dorſi in Occidentem Apices numero tres, ſed minus alti, potiſſimum inacceſſi ſunt, niſi temerariis aliquibus, qui vitam flocci pendant : quos inter profecto illi, qui ex auſtrino latere per fiſſuram ſive anguſtum foramen, in ſumma hicce loci rupe a natura perforatum, ad boreale repentes deſcendunt: *Kirſchen-Loch* vulgus vocat, ſed rectius *Kriechen-Loch*, non enim a ceraſis, quorum nulli hîc, ut falſo perhibent, nucleorum acervi reperiundi, ſed a reptatu. Caeterum rupes , quod notari promeretur, foramine iſto pervia, illa ſaxi ſpecie conſtat, quod lapidoſum, *Cap. de Foſſilibus*, vocamus & deſcribimus: cujus origo nonniſi ab alluvionibus, & quidem Torrentium, deducenda.

Ab ultimo ex Apicibus praedictis dorſum nonnihil deprimitur, latusque meridiei obverſum , quod hucusque non aliter ac ſeptentrionale praeruptum erat clivoſum evadit & paſcuum; ſupera ejus pars eſt, quae proprie *Gems-Matt*, Rupi-Caprarum Pratum dicitur, inferior *Dumli*, imminet mox his altiſſimus itidem vertex, qui veluti per gradus, tribus ſuperincumbentibus videlicet uno tantiſper retro aliud rupium ſtratis, erigitur, difficillimus & periculo plenus ex oriente in eum aſcenſus eſt, commodi autem jucundique ſatis ex occidente, clivo enim facili ea parte in campum deſcendit. Verticem ipſum *Ruh-Stein*, Petram diceres requiei , nominant, hîc enim defeſſa corpora, Montem inviſentes in molle graminulum deponunt, cum interim oculi ampliſſimo objectorum, ubique ſubjacentium, proſpectu defatigantur. Campus à vertice hoc in occaſum excurrens 1500. p. geom. longus, alicubi ubi latiſſimus 200. alibi vix 50. latus eſt. Utrinque

que, maxime autem ex boreali latere immenſis praecipitiis abrumpitur, quo magis vero occidenti appropinquat a ſummitate in hanc plagam clivoſus, horizonti parallelus evadit, ſeque ex utroque latere, meridionali & ſeptentrionali, conſcendi, anheloſe tamen, patitur; nomen campeſtri huic dorſo *Wider-Feld*, quod non uti opinor ab arietibus derivatum eſt, ſed à remeandi qua ventum neceſſitate: cum non cujusvis ſit per praecipites ſcopulos aliorſum evadere.

Terminum huic dorſo conſtituit, quo veluti obvallatur, alius item vertex, & in ſerie penultimus Montis: hic quidem minus altus, ſed ex eo notabilis, quod ex luteo-rufeſcente arenario ſaxo denſiore, & ſmyridi affini, componatur, *Roth-Stock* propterea dicitur; retro eum ex auſtrino latere in altius jugum aditus patet, ſed adeo ſtrictus ut quemvis ejus poeniteret, niſi forte Botanicum: etenim inter alias rariores plantas hic Martagona, & Campanulam ſphaerocephalam, aliàs Montis Baldi inquilinam, ipſi evulſimus.


A vertice hoc ceu initio quodam Montis jugum denuo in campum dilatatur, anguſtum primo, qui tamen mox latius ampliatur. Sterile ei ſolum, & duntaxat Sedo vermiculari minimo, pumilibus graminulis & muſcis, conſitum. Qua parte meridiem habet, placidius in vallem ſe reclinat, ſed boream ſeu potius circium verſus, poſtquam in ſublime itidem cacumen aſſurrexit, altiſſimo & praecipiti pariete, cui nulla in Monte ſimilis, abſciſſum eſt; haec autem planities totius Montis altiſſima *Auf-Wengen* apellatur, longo tractu adhuc occaſum verſus protenſa, donec ad profundiſſimam vallem, ſeu horridum potius barathrum, quod Montis finem conſtituit, terminatur.

Placeat autem tantisper ſummo iſthic ſeſe attollenti cacumini, Fracti Montis vertici altitudine haud inferiori, immorari, nomen ei eſt *Ober-Alp-Gupſe* ſuperae Alpis vertex. Ex auſtrino latere a campeſtri illo jugo ut diximus per ac-

 clivi-

clivitatem facile aſcenditur: poſtquam in ſummum eniſi ſumus, juxta mediam perpendicularem dimidiati veluti coni & reſecti, Apici inſiſtimus, non ſine vertigine in profundiſſime ſubjectam vallem inclinato pedes verſus obtutu deſpicientes; nudatae ſummae rupes congeſtis ſaxis conſtant, quae inter notatu dignum, quod ad praecipitii extremum caeteris ſupereminens omnino liberum jacet, facili attactu titubans, unde & culmini nomen *Petrae titubantis*; fabulas de eo ſparſas jam denuo repetere ſuperſedemus. Eſt autem ſaxum iſthoc vacillans parallelepipedi figura, paulo ultra hexapedam longum, parum latius pedibus tribus, & tantisper minus altum, injacet horizonti parallelum ſubjecto rupis fragmini magis irregulari, nec aeque plano ſed verſus centrum gravitatis ſuperimpoſiti convexo, unde hujus ferme in aequilibrio ſitus: ferme dixi, nam non undequaque inclinari ſe patitur, ſed juxta diagonalem tantum ex angulo ſeptentrionali in oppoſitum auſtrinum ducta; qui me ducebat Rupricaprarum Venator malefidam ſtationem animoſus conſcendit, divaricatisque cruribus & corporis libratione repetita, lapidem colliſione late exaudiendum ſonum edentem concuſſit. Magnus Gesnerus, qui quoque anno 1555. huc conſcendit, ſpectandas in hoc ſpecula litteras quasdam: nomina videlicet celte inſculpta, & juxta annos Domini, & quaedam ſigna gentilitia ſeu familiarum, tradidit; ſed nobis ſedulo inquirentibus una tantum inſcriptio Gesneri anno antiquior ſe obtulit, ſine dubio tempeſtatum injuriis, ſaxa etiam depaſcentibus, antiquioribus deletis: aderant equidem veſtigia & ſulci quidam hinc inde effaeti, ſed ex iis figura aliqua inſtruens combinari haud potuit, quas reperimus adhuc exſtantes, erant in ipſo lapide titubante.

Sept.



Merid.

deinde

deinde in petris circumvicinis HR. F. 1603, HB, H. W. + 1518. quam ultimam ſuſpicamur *Ducis Hudalrici Wirtembergenſis*, quem hoc Anno 1518. Montem conſcendiſſe, cum apud nos in aſylo degeret, conſtat.

Porro & illud de cacumine iſto memorare haud obliviſcamur oportet: ſubjectae vallis aeſtivis incolis uſum ſolaris horologii praeſtare, non ſaltem ſi ad ejus aut vicinorum montium culmina pertranſeuntes verticales circulos Sol pervenerit, quemadmodum de quibusdam Rhaetiae Montibus ex *Itinerario alpino* II. *p.* 109. docemur, ſed etiam ex projecta illius in vallem umbra Sciatherici vices explendo; cum enim ad perpendiculum ferme erectus ſit apex, Gnomonis inſtar, quo non horae ſaltem uti rudes alpicolae ſolent, ſed etiam Syderum declinationis gradus metiri poſſent: eodem propemodum inſtituto ac uſu, ad quos Obeliſcos illos, Aegypti ſuperba Spolia, in Romanis Plateis erectos, Architectus Cornelius Meyer quondam aptare propoſuerat, ſed huic a natura erecto nequaquam comparandos: & qui longe caeteros etiam celeberrimos vel Ulug-Bei, Dantis aut *Petroneanum* altitudine multocies vincit, utpote quem ad minimum ſupra ſubjectae vallis planum 1600. pedes attolli deducere licet. Vaſtiſſimus propterea hic, ſed ob praecelſam ſummitatem non ſine horroris quadam mixtura, jucundiſſimus proſpectus patet, nonduntaxat enim ſeptentrionalior Helvetia tota ferme oculis ſubjicitur, ſed ultra Acronium Lacum, Rhenumque Fluvium, in 40. & ultra Leucarum ſpatium obtutus mergitur. *Randius* Mons, *Hochen-Wila*, & alia his vicina excelſiora loca inermi etiam oculo diſtinguuntur; Sylvae deinde Nigrae tractus, Helvetiae Eremus Ptolomaeo, & ad ſiniſtram Juraſſi jugum usque in occidentem, horizontem terminat: imo ubi iſtius altitudo deficit, viſum etiam in Vogeſi montana, & in ipſa Alſaciae campeſtria, ultra Argentinam, permittit; ſed in propinquam magis Helvetiam, in quam minus caligant, oculos reducamus, inprimis vero in Territorium noſtrum Lucernenſe, quod veluti Monti ſubſtratum apparet: gratiſſimo enim & deli-

Digitized by Google

delicioſo ſpectaculo montes, colles, campos, nemora, rivos, torrentes, fluvios, Lacus octo equidem numero, villas, pagos, caſtella, oppida vix recenſenda, & demum Urbes ſaltem quatuor, haud aliter ac ſi omnia in chorographica ampliſſima tabula deſcripta, & nativis ſuis coloribus veluti depicta eſſent, admiramur.

Sed ſi ex Borea nos in Auſtrum convertimus, quam diverſa ab iſta & ſtupenda rerum facies illico occurrit! poſtquam enim oculos longinquo delectabili ac amaeno ſatis ſpectaculo pavimus, & fertiles excultasque terras ſeſe coelo miſcentes admirati ſumus, averſus mox obtutus in ſquallidiſſimam eremum &, veluti decumanis fluctibus, ſed immotis & quaſi rigentibus, tumentem furentemque oceanum illabitur; hanc enim ſcaenam apprime exhibent ſummarum Alpium editiſſima & vix enumeranda, quae longo latoque ſpatio, alia retro alia, ſeſe erigunt cacumina, & coelo minantes ſcopuli: qui cum annoſa nive candeant, vaſtos ſpumantesque Nerei fluctus imitantur, & illud duntaxat diverſum eſt, quod hi continuo motu urgeantur, quorumque

Poſterior nono eſt, undecimoque prior,

illi vero veluti in pictura immoti & ſtabiles ſubſiſtant. Sed ſi viſum jam infra horizontem in proximam Super-Sylvaniam demittimus, fertiles & apricae valles horrorem denuo temperant, nam uno veluti oculi ictu ex montium illo pelago hyemali facie ſquallido, jucundiſſimum Ver Aeſtasque ſimul in earum imo cernitur.

Qua campeſtre eſt ſummum dorſum, nec abruptis ſcopulis conſtans, herbido ſolo gaudet, alicubi vario gramine interſperſis diverſis non ubivis obviis plantis virente: alicubi, ut in ſumma illa planitie titubantis petrae culmini ſubjecta, praeter puſillum Sedum, gramina & muſcos vix, quid aliud ſuccreſcit; multis in locis udoſi tractus occurrunt vix omnino etiam ſub Sirii ortu ſicceſcentes, & quod mireris in ipſa ac Montis ſummitate haud aliam faciem exhibent, quam infima paludoſa loca, quae graminibus & juncis intertextis radicibus & muſcis ſunt

conſi-

Digitized by Google

conſita, quae hinc inde ad cumulos denſe concreſcunt, *Paeſchen* Ruricolae dicunt, intermediis veluti foſſis voveisque, intra quas & ſaepe aquae reſtagnant, ſeparatos: imo occurrunt ampliora ſpatia in campeſtri Dorſo *Widerfeld* gramine omni deſtituta, nudum, ſabuloſum, aut glareoſum ſolum oſtendentia, laete virenti omni ferme parte concluſa. Tale oſtenderunt etiam Gesnero, cujus amplitudinem hexaclinon ſcripſit, cui nullam unquam herbam innaſci obſervatum eſt: cauſa vero quia ignorabatur, res pro miraculo fuit, ſuisque propterea fabulis locum iſtum intertexuit, impudens mythotechnorum ingenium, perhibendo iſthic dum Pilati ſpectrum conjuraret Roſeae crucis Frater exorciſmos ſuos egiſſe; conſtat autem praeternaturalem hujus cauſam nullam ſubeſſe, ſed ſpatia hujusmodi herba omni deſtituta, quorum plura occurrunt, ventorum injuriis fieri, inprimis frigore algentium borealium, qui hyeme diſſipatis impetuoſo flatu, quae ſummo dorſo incidere nivibus plantarum radices adurunt, glebas ſuffodiunt, herboſumque terrae corium avellunt, maxime ſi tenuius illud fuerit, & mox ſubtus exſtet durior terra ſabuloſa & petroſa, cui profundius ſeſe inſerere, firmiusque irradicari haud potuere.

Ubi denudati magis ſcopuli & rupium acervi in radices deſinunt, tum ea parte, qua meridiem habent, tum qua aquilonem usque ad imas valles alpeſtria quidem in altioribus, in magis inferis autem partibus mitiora & exculta paſcua offenduntur, quibus frequentes hinc inde ſylvae interſperſae abieginae potiſſimum, quercubus etiam & fagis, inprimis his in auſtrali latere intermixtis. Solum in ſuperis radicibus plerumque etiam udum eſt: in apricis quidem gramine variisque herbis, in umbroſis autem alto plerumque & pingui muſco, obtectum; attamen etiam ſicciora plurima loca occurrunt: ita ut pro varia neceſſitate, armentis abunde faenum, gramen & ſtramenta praebeat. Lignum non niſi quod inferis mediisque locis excreſcit, hyeme ſuper congelata nive in oeconomicos uſus abducitur, quod in ſuperis partibus ſenio confectum ventis dejicitur, & computreſcit, vel a carbonariis exuritur, quibus apri-

Digitized by Google

apricata terra in ſedulitatis praemium ceu propria ad ulteriorem culturam relinquitur; hoc modo factum ut auſtralis montis acclivitas laetis paſcuis jam gaudeat, ubi retro luſtra aliquot horridae & inutiles ſylvae ſteterunt.

Verum antequam ulterius pergam, ne verboſus nimium, & horridi Montis veluti amore captus, ob tam profuſam deſcriptionem, videar, liceat mihi Plinio juniori *Laurentinum* ſuum ampliſſime laudantis & mihi objiciendam reprehenſionem praeoccupare, & monuiſſe non ſcriptum plus longum eſſe quam deceat, ſed ex eo quod Mons ipſe, quemadmodum Plinii Villa, grandis ſit, magnus atque ampliſſimus; jam itaque qua parte is etiam rem domeſticam adjuvet, recenſere mihi indultum eſto.

Sunt autem, quae nomen aliquot promerentur Montis ſummitati viciniora, aut ad ſuperas omnino radices jacentia alpina paſcua, quae ſequuntur: Prope infra ſummum verticem ad Euro-Auſtrum intra vallem, quam ſecundarium jugum conſtituit, occurrit *Matt*, pratum rivulo in Ortum excurrente irriguum: ſpectat ad Alpem hanc etiam planities, in qua ſummus vertex exſtat: pabulum praebet 40. Vaccis. Vicina huic verſus Boream *Steugli*, ubi tranſitus in ſeptentrionale latus, non niſi 15. alit. Extra ſecundarium dorſum ortivo Soli patente Montis latere occurrunt *Emſen*, *Stoecken* - & *Krez-Alp*, omnes admodum clivoſae opimi tamen & pro 60. ſufficientis pabuli: ſub quibus inferae radices viridarii inſtar excultae in plana Alpenacenſia, & ad Lacus illuc excurrentem ſinum deſinunt. Sequuntur denuo intra ſecundarium jugum *Laub* 30. Vaccarum: amoena certe, ſi ſolitudine delecteris valle conſtans; hic Meum, Mutellinam, Pimpinellam, Doronicum, Gentianas varias, & praecipue albas, Helleborum utrumque, Orchides diverſas veluti horto conſitas, frequentes ſpectavimus; ſequitur deinde *Dumlj* ad auſtrinum clivum ſubjecta Petrae requiei 20. Vaccarum. Huic verſus occaſum ſuccedunt *Rusligen-Wald*, *Schyen*, *Alpelen*, quae contiguae 60. Vaccas alunt. In occaſum

ſum porro ; ſi per vallem qua Pilatus reſcinditur emergimus, offerunt ſe primo *Breiten - Staffel*, *Trochen - Matt*, ſubjecta Petrae titubanti, *Froh-Staffel*, cui imminet *Ober - Alp*, quae ſummo dorſo *Wider- Feld* ſubjacet, in qua Pilati famoſa illa Palus, 80. in has alpes Vaccae adducuntur. Sequitur mox in boream jam magis ſe obvertente latere *Brünlen* paulo infra ſummum jugum, 20. Vaccarum : ſub ipſo vertice Petrae requiei *Roht-Stock* 30. : & deinde *Lauwelen*, ſic ob frequentes nivium labinas dicta, etiam 30. Vaccas nutriens, cui proxima *Boneren*, pinguis pabuli pro 50. *Caſtelen* ſcopulo injacet in hanc plagam prominenti, uti etiam *Auf- Joch*, ambo difficilia paſcua, felicius *Frach - Munt* ſummo culmini ſubpoſitum, 25. Vaccarum, quae demum in ortum ſequuntur *Wind - Egg* & *Tale - Feld* nonniſi ovibus patent: haec quidem ſpecialius expoſuimus, utpote cum Pilati rupibus inhaereant ; longum eſſet & taedioſum medias imasque radices evolvere, modo ſylvis obſeſſas, modo paſcuis apricas, imo circa imum, qua aquilonem reſpiciunt uberrimis pomariis, pratisque & fertilibus agris excultas.

Nequaquam autem praetereunda eſt amaeniſſimae Vallis *Eythalae*, partem ſuperarum radicum ad occaſum aeſtivum conſtituentis mentio; abundat haec praeprimis pinguibus paſcuis, in quae numeroſa armenta ad aeſtiva adducuntur. Pecuariorum hic habitationes aliquot, & lactarias officinas non tuguria, non caſas dixeris, domus tibi videbuntur ad aptam commoditatem a proprietariis odornatae; media irrigatur torrente *Rumlin*, Truttarum haud alibi tanti ſapidarum, & praecocium Ranarum ferace; Vallis iſta propriis quondam Dominis parebat, ex quibus Anglum quemdam, neſcio qua fulti auctoritate, etiam fuiſſe traditur, unde & nomen ejus ab *Eyen - & Thal*, paenes quos ſummum jus fuit in incolas & oppidanos; Oppidum enim hic aliquando ſtetiſſe & Caſtellum, anus chartae & ruderum reliquiae docent : imo non aeſtivo duntaxat tempore, uti hodie, ſed hyeme etiam habitabatur, frequentibus quoque & opimis pratis, agrisque frumenti feracibus

racibus exculta, cum tamen jam non niſi alpeſtrem uſum praebeat; hoc idem de vicina, qua montoſa magis eſt *Entlibucha* conſtat, in qua plurima occurrunt alpina paſcua, quae quondam minus ingrata, herboſiſſima prata exſtitiſſe Autentica perhibent; hinc de qua alibi etiam conjectura illa, quod videlicet non aeque ac quondam faveat vel coelum vel terra, confirmari videtur, & ex eo etiam comprobari, quod Vinearum, quae in agro Lucernenſi, ac maxime circa Urbem frequentes fuerunt, cum indies earum fructus deficere, minusque maturari uvae deprehenderentur, ulterior cultus neglectus fuit, imo pleraeque eradicatae. Hujus rei cauſam longius petere, & ex Aſtronomia phyſica, cum tamen aliqua afferri poſſent, argumenta, deducere non vacat, ſed quam ſuſpicor vix non primaria erit, videlicet cum montana haec loca plurimum clivoſa ſint, & frequentioribus pluviis ac imbribus ſubjecta, gleba pededentim eluitur, quo effectu macreſcere ſuperum ſolum & declive neceſſarium eſt.

Per Vallem hanc Lucerna in Montem tendentibus communior via eſt aſcenſu non adeo arduo, cum equis vehi poſſint; in ejus ultima & ſuprema extremitate, haud procul pedem Verticis cui a Petra titubante nomen, noctem usque ad gallicinium tranſigunt Oreophili alpe *Froh-Staffel.* Paſtores, ut & caeteri circa Montem aeſtivantes ſolent, quorum ſolitudo peregrinorum hominum adventu recreatur, ut eos more ſuo officioſiſſimi & lautiſſime qua licet excipiant, variis lacticiniorum ferculis inſerviunt, hujusmodi ciborum genere minus frequenter utentibus gratiſſimis. Adponunt Oxygalam ſic Aeginetae vocatam: Lac videlicet concretum Taciti, acido guſtu blandiens, quod vernacula voce *Schlotter-Milch* vocamus, a tremulo, gelatinae in modum, motu: vel etiam hoc ipſum a ſero liberant, & conquaſſatum cum Cremoris portione remiſcent, & ſic inſpiſſatum *Dicke-Milch* vocatur; afferunt. Affrogalam Galeni, quae tamen aeſtivis caloribus haud facile paratur, cum promptius butyrum conquaſſatione ſeparetur, quam in ſpumam irretitis aëreis globulis abeat Cremor. *Geblaehte-*

blaehte-Nidel, noſtris, alibi *Schnee-Milch* à nivis non tantum candore, ſed & raritate; nec porro deerit celebris illa *Fuſterli-Milch*, verae aeſtatis cupediae; conſtat illa Recocta ex pingui lacte, nec ebutyrato, lentiſſima coctione parata, & multo alio lactis cremore ceu brodio mixta: & quia ſuccuſſione ſapidior redditur, delicatiorque, longius ſaepe transfertur in abiegnis lagenulis, quarum arcuatum manubrium pugno amplectitur, hinc vaſi ſuum nomen & Lactis à vaſe. Porro & Melcham plenis cadis miniſtrant, ſic Galeno & Aeginetae dictam, uti conjecturare licet, quidquam enim aliud eſt quam caſeo & butyro privatum lac, vel ipſum illius ſerum; acidulum enim eſt, unde a laudatis ad bilioſam calidamque Ventriculi intemperiem ciborumque inappetentiam ſuadetur; *Melchae* autem vox germanicae originis eſſe ex eo videtur, quod *Melchen* mulgere ſignificet: *Molcken* autem in ſpecie ſerum lactis, non quidem apud nos vernacule, nam *Schotten* dicimus, ſed per totam Germaniam vocatur. Verum *Molcken* & alio ſenſu nobis etiam in uſu eſt, ſic enim generice omnem lactarium proventum, Caſeum, Butyrum &c. nominamus: quaeque & menſae tuae imponent, cum Recocta ſive lactis, ab affuſo acido praecipitationis chymicae in modum, a ſero ſeparatum inſpiſſamentum: Hippocratis & Polybii *Hypaces*, noſtra tamen rectius *Bubaces* diceretur, cum non ex equino, ut Scythis ſolet, ſed ex vaccino lacte paretur.

Illud autem ſaepenumero miratus ſum, cur inter tot lactariorum ciborum apparatum primus caſei gradus, ſeu lactis ahaeno calefecti, coaguli ope inſpiſſamentum, quod *Bulderen* dicimus, non etiam noſtris menſis inferatur; palato enim ſi quid aliud gratum. In Italia profecto meridionaliori in ſummis deliciis habetur, & nive frigefactum, ſaccharoque conſperſum à delicatulis etiam in primam menſam expetitur: licet illud ſalutare haud judicet Castor Durantes: ſic enim ille *Teſoro della Sanità. p.* 127.

Ventriculi ardorem extinguit Lac nomine junci,
Atque ſitim ſedat: prava alimenta parit.

denominatur autem a junco *Giuncata*, quod in mappam ex transverſim conſutis viridibus ſcirpis reponi, & involvi ſoleat, ut a ſero liberetur: hinc Ovidius IV. *Faſtorum.*

Dentque viam liquido vimina rara ſero.

& Tibullus *L.* II. *Eleg.* 3.

Tunc fiſcella laevi detexta eſt vimine junci,
Raraque per nexus eſt via facta ſero.

Inſpiſſamentum itidem iſtud in Regno Neapolitano non quemadmodum apud nos ramoſo baculo comminuitur, ſed poſtquam magis adhuc calore craſſeſcit, & tenacius factum eſt, eximitur, inque placentas latas & tenues dilatatur, quas poſtquam ſerum omne effluxit ſale aſperſo in Caſeos lamellatim convolvunt: vel majores, forma veluti cucurbitina, equino ſcroto ſimili: unde illis *Caſcio di Cavallo* nomen, qui diu aſſervantur; aut minores, qui recentes in gratiſſimum cibum cedunt; Averſa inter Capuae delicias merito annumeranda, ob iſtos celebris: *Le Muzzarelle d'Averſa.* Sed revertamur ad Pilatum.

Utque hoſpites gratiſſimos ſibi omnino devincant Alpicolae, vinumque ipſis oblatum, hac enim teſſera eorum benevolentiam omnem captamus, officiis rependant: Buccinam inflabunt, quam Gesnerus loco ſaepius laudato *Lituum alpinum* vocavit, iis primum & ultimum muſicum inſtrumentum, quo ſe ipſos armentaque ſua exhilarant, & diſperſa ac evagata ad mulgendum convocant; quod praeprimis ſurgente cadenteque die ſolent, & antequam alta voce precatiunculas ſuas inclament; & quia eo ſic bubus canitur Buccinae potius ſibi nomen vindicat, quam Litui: ejusque hunc uſum antiquiſſimum eſſe, & demum in bellicum etiam translatum, docet Chr. Schoettgen *Antiq. Lex.* p. 234. ex Schelio, Polybio, Bulengero, Pitisco, du Fresne. Eſt autem Lituus

brevis

brevis virga, in parte, qua robuſtior eſt, incurva, authore GELLIO *L.* v. *c.* 8. qua Augures uſi ſunt, & primus omnium ROMULUS, Regiones, cum Urbem condidit, direxerat, v. CICER. *L.* 1. *de Divinat.* & quo demum nomine Buccinae genus incurvum, gracilem edens ſonum, etiam FESTO autore, inſignitum fuit. Militarem uſum praebuit inprimis cum hic locorum circa Montem, ad initium Saeculi XIV. diſſidia inter Entlibuchanos & Super-Sylvanos vigerent, praeliisque ſe laceſſerent, tum enim qui ad excubias erant, eo de hoſtis adventu ſuos admonebant, etenim non duntaxat ad harmoniam quamdam inflari aptum eſt, ſed & ſtentoreae Tubae inſtar vocem etiam articulatam in longinquum propellit; *Alp-Horn*, Cornu alpinum vulgo audit; eſt autem longa tuba tota ligno fabrefacta, variae longitudinis a 4. ad 12. quandoque pedum: curvatura lineam illam, quae Geometris *Ciſſoides*, aemulatur: ab anteriori orificio 3. ad 5. digitorum amplo ſenſim gracileſcit, ita ut quae ori applicatur apertura $1\frac{1}{2}$. ſit pollicis, interne ex tenuibus & longis aſſulis compaginatum eſt, quae extus per totam longitudinem lentis viminibus ſtrictim colliguntur: & ut flatui nullae fiſſurae pateant, pice & cera undique inducta, ſolicite obturantur. Sonus Tubae gravis & penetrans, & licet in vicinia minus vehemens, tamen a longiore intervallo exauditur, addimus ejus figuram *Tab.* V. *Fig.* 2. etenim mihi non conſtat alibi reperiundam, & ne nihil omiſiſſe videamur, addimus etiam praecipuum pecuariorum melos, quod illis Vaccarum Chorea *Kuh-Reyen* dicitur, cui varias illi paſtorales cantilenas accomodant. Tribuunt aliqui melodiae huic Helvetios monticolas veluti faſcinandi vim, *Noſt*- vel *Patrid-Algiam, Das Heim-Weh*, in iis excitantem; quod quidem ex eo ſaltem fieri credimus, refricari illa gratam memoriam vitae juvenilis omni cura ſolutae, rerumque quas pro deliciis ſuis domi habebant; ſicque ob carentiam earum affecto triſtitia animo, nil mirum, corpus quoque dolore affici, ad juvantibus morbum Atmosphaera peregrina, & non antea ſolita ac inſueta alimonia; novi ruſticam, quae ad melodiam iſtam illico profuſiſſime plorabat, non ſecus ac foemina illa de qua

R. Boyleus *Tranſact. Philoſ. n.* 83. aut Eques ille Vaſconus, qui lotium audito utricularis tibiae ſono amplius retinere non poterat, Derham *Theol. Phyſ. L.* IV. *C.* III.

Dum Pecuarii noſtri in Alpibus degunt ab omni foeminarum conſortio remoti ſunt, raroque illuc adducunt; anne hoc ſoleant, quia timent malis effluviis lac infici, & minus feliciter probos Caſeos formandi opera ſuccedat, an vero eis ſit religio aliqua, ignoro: forſan cum lactariis cibis ſalaciores reddantur, occaſionem Veneri ſtudio reſcindunt, ut negotiis ſuis liberius minusque impediti vacent, poteſt & iis ea inhaerere opinio, minus fauſte rem pecuariam agi in editis hujusmodi locis, veluti ſacris in Lucis, ſi vel minimum contaminentur, utpote neſcio quibusnam Manibus, aut ſylvanis Numinibus, inhabitatis.

Cumque locorum genius circa Montem is plerumque ſit, ut ſolitudini amaenitas, collibus valles, vallibus campi, ſylvis paſcua intermiſceantur, hominum item ſi libuerit conſortium in propinquo adſit, Villae videlicet, hinc inde ſparſae, in inferioribus Pagi, & proxima etiam Civitas Lucernenſis; varii Eremicolae Saeculo XII. & XIII. inprimis huc pellecti circa eum ſedem fixere, quos inter probi aliquando, aliquando & improbi, imo ſicarius: dequo etiam Stumpfius *Chronic. L.* VII, *c.* V. *p.* 469. Ex proborum numero honorificae memoriae eſt Jo. Wagner Carthuſianus Yttingenſis, cujus inculpatum auſteriſſimum vitae genus vicini accolae admirati ſunt; hic cryptam ſibi elegerat ad praeruptam extremitatem verſus inferas Pilati radices, ubi nunc ſpecioſum Fanum, intra quod ejus exuviae ſpectabili monumento conditae etiamnum quieſcunt, cui *Her-Gots-Wald*, *Sylvae Dei*, nomen, primitus paulo poſt Wagneri obitum Anno 1500. exſtructum eſt, deinde 1622, itemque ſubſequentibus, Civium Lucernenſium devotione ampliatum; erit, ubi de Foſſilibus dicemus, hujus Templi alia mentio.

CAP.

Digitized by Google

CAP. III.

Pilati Atmoſphaera, Meteora.

Aërem quo Terraqueus ceu ſphaera quadam concavo-convexa undique obvolvitur, qua proximus eſt globi noſtri ſuperficiei, ſeu imus, graviorem eſſe magisque compreſſum, utpote cui tota ejus reliqua moles omni ſua altitudine incumbit, certum eſt: ſic & quo altiora ab infima illa ſuperficie puncta conſideramus, minus etiam illa gravari & premi; ex hoc ſequitur montanum & leviorem eſſe & magis dilatatum, quam vallium, in quibus, quo profundiores ſunt, ille a ſuperinjacentis quantitate magis coacervatur, denſusque redditur: & quia juxta reliquorum fluidorum primigenias leges gravitat, ſi ille vi quavis e loco aliquo truditur, in eundem ruere ſi conceſſum ei non eſt, in obvia pondere ſuo agit, eaque ſibi ſubſtituere nititur; hinc fit, ut in imis locis majorem gravitatem exercens, non niſi cum majore etiam alterius corporis mole libretur, in altioribus, quo magis ab imis removentur, minore. Suſtinet itaque ad horizontem marinum, ut cum ea aequilibretur, in tubis ſuſpenſam aquam ad 32. circiter pedum altitudinem, quo gravius vero liquidum erit, eo minus alto loco id haerebit, ita ut Mercurius, liquidorum quae habemus graviſſimum, in 28. circiter digitorum altitudinem truſus ſubſiſtat; quod ſi jam in altiori ſitu experimentum hoc tentatur, aëre illic minus ponderante, minus quoque liquidi columna in tubo aſſurget, & hinc eſt quod conferendo notas altitudines in Atmosphaera cum altitudinibus ſemper proportione quadam minoribus, liquidi in tubo ſuſpenſi, de incognitarum quoque altitudinum menſura concludere poſſimus, ſimulque quanto aëris ſuperis in locis pondus & denſitas imminuatur.

Quia

Quia vero aëris gravitas juxta varium ejus ſtatum tempeſtatumque vices varia etiam eſt, ut certius de atmoſphaerae vel ſi vis locorum ad quos aſcendimus altitudine concludere liceat, neceſſe eſt ſitum Mercurii frequentiorem, mediam videlicet altitudinem quam ille inter ſummam & infimam habet, conſiderare & conferre: variat enim plurimum, ut obſervatum eſt, ſumma ejus & minima altitudo, adeo quidem ut differentia major ſit in Borealibus, in Suecia enim ferme quatuor digitorum, in Hollandia trium, apud nos autem in VIII. Climate $1\frac{1}{2}$, ſub Tropicis vero vix digiti dimidii.

Quod ſi jam prope marinum horizontem, utpote locum infimum, frequentem magis ſeu mediam Mercurii in tubo haerentis altitudinem 28. pollicum aſſumimus, & cum ea mediam quam Lucernae obtinere ſolet conferimus, quae eſt 26''. 4'''. ſeu 1''. & 8'''. minor: e Tabulis quas Regia Scientiarum Academia Pariſienſis exhibet, *Memoires* 1705. *p.* 61. *&c ſeq.* quae variis altitudinibus Mercurii reſpondentium altitudinum menſuram ſupputatam exhibent, deducimus, Lucernam altiorem eſſe mari

Juxta calculum *Mariotteum* . . . . 216. Hexap. 5. ped.
ſeu omnino Pedes . . . . 1301.
Juxta *Caſſinianum* . . . . . 235.
ſeu Pedes . . . . 1410.
Juxta C. Jo. SCHEUCHZERI, quod exhibetur *Stoicheiographiae Helveticae p.* 27. . . . . . 221°. 1'.
ſeu Pedes . . . . 1327.*

aëris quoque expanſionem cum prope mare ſit juxta MARIOTTE, non niſi 63, Lucernae fore eam ut 67: juxta SCHEUCHZERUM vero ut illic 64. hic $68\frac{1}{2}$. vel ut 128. ad 137. Ex *Caſſi-*

* Si calculus ineatur ſecundum Hypotheſin à *Cel.* D. DAN. BERNOULLIO ſtabilitam *Hydrodynamicae &c. Sect.* X. ac altitudo Mercurii in Barometro prope ſuperficiem Maris ponatur 28. poll. $4\frac{2}{3}$. lin. deprehenditur Lucernae elevatio ſupra Horizontem marinum . . 286. *Hexap.* 1. *ped.* 3. *poll.* ſeu *Pedd.* . . . . 1717. 3.''
v. etiam *Cl.* SULZERI *Beſchr. einiger Merkwurdigkeiten des Schweizerlandes &c. p.* 55. 57.

Caſſiniano vero calculo quemadmodum ibi 60, iſthic 80. ita ut juxta hunc jam quarta parte rarior ſit aër ad pedes Pilati, quam qui ad imum horizontem.

Hoc modo ut de Montis Atmoſphaera ac elevatione nobis conſtaret, hujuſmodi experimenta in eo inſtituimus, ex quibus ſequentia adnotamus. Fuimus autem uſi Barometro vulgari tubo conſtante 32. digitos longo, cujus cavitas 1½.''' amplitudinis eſt, ut ſic facilius, cum aëris bullula ſeſe Mercurio immiſceret, iterum leni concuſſione, dum inverſum eſt, ſurſum excuteretur: totum illud è vitro conſtat, infera ampulla ſurſum reflexa, quae non ad apicem, ſed ad latus foraminulo eſt pertuſa: hoc cera obturatur, dum capſae impoſitum barometrum hinc inde portari ſolet, quod facilè patitur juxta omnem ſitum, dummodo non celeri nimis impetu ad perpendiculum invertatur.

Anno 1717. die 17. Julii hora tertia pomeridiana ſuper Petram requiei

A reperta eſt ☿ altitudo	22''. -- 5'''.
B ſed eodem tempore Lucernae obſervabatur	26. -- 6.
C erat itaque major, quam media . . .	2.
D ergo media altitudo in Petra praedicta eſt	22. -- 3.

Locus itaque obſervationis eſt ſuper horizonte marino elevatus juxta calculum

	Mariotteum.	*Caſſinianum.*	*J. Scheuchzeri.*
a Pedibus . . .	4873.	6555.	5008.
b ſupra Lucernam vero	3572.	5145.	3681.

Anno 1725. die 18. Julii hora 9. matutina in jugo Montis *Widderfeld*

A			23''. -- 4'''.
B			26. -- 8.
C major			-- 4.
D			23. --
a	4150	5430.	4285.
b	2849	4020.	2958.

Anno

Anno 1717. die 18. Julii hora 11. matutina in *Antro Lunari*

A			23''.	4'''.	
B			26	6.	
C major				2.	
D			23	2.	
a	4017	5191			4128.
b	2716	3781			2801.

Anno 1725. die 17. Julii hora $8\frac{1}{2}$. veſpertina in loco *Lawelen-Alp* ad ſcopulorum Montis radices

A			24''.	2'''.	
B			26	7.	
C major				3.	
D			23	11.	
a	3341	4965			3432.
b	2041	3555			2105.

Anno 1717. die 18. Julii hora 8. veſpertina in valle *Eythal*

A			24''.	11'''.	
B			26	5.	
C major				1.	
D			24	10.	
a	2544	3021			2611.
b	1243	1611			1284.

Ut autem inter altitudines tribus diverſis calculis determinatas veriorem ſeligeremus, placuit etiam montis altitudinem, quantum locorum ſitus concederet geometrica inveſtigatione explorare. Cernitur autem ſummus vertex *Frackmunt*, qui parum admodum altior eſt *Petra requiei*, prope moenia Urbis Lucernenſis, elevatus ſuper horizonte ſenſibili 11°. 30'. punctum vero perpendicularis a vertice demiſſae, in eadem horizontali linea diſtat 5000. quam proxime paſſibus geometricis ſeu 4166. Hexaped. 4. pedd. ex quo jam ejus perpendicularis, ſive ipſa altitudo montis maxima & verior, ſpreta quidem refractione, utpote parvi iſthic momenti, & minor illa aſtrorum, quorum radii totam atmoſphaeram pervadunt, quae

in

Digitized by Google

in hac elevatione eſſet $11'. 25''$. emergit, nempe ſupra horizontem Lucernenſem $847\frac{1}{2}$ hexapedarum, ſive paſſuum geometricorum 1017. vel 5085. pedd. Cum vero hic numerus calculo *Caſſiniano* proximus accedat, ſi juxta eundem determinatam elevationem *Lucernae* ſuper horizonte marino 1410. illi addimus, emerget tota Pilati altitudo ab infima terraquei globi ſuperficie pedum 6491, ſeu quam proxime in numeris rotundis 6500.

Quae quidem altitudo parum à vero aberrabit ſuppoſita media mercurii altitudine ad marinum horizontem 28. digitorum, qualem ceu terminum aſſumſpere VIRI illi doctiſſimi à quibus laudatas tabulas habemus, ſed ſi is excedit praedictum numerum, quemadmodum obſervationes teſtari videntur, Montis quoque noſtri, & quotquot alii Barometro explorantur, major adhuc altitudo ſtatuenda erit. Imam enim in Hollandia eſſe traditur, NIEUWENTYT *Exiſtence de Dieu &c. L. III. c.* iv. *pag.* 522., 28. pollicum, ſummam 31. media itaque erit, ad quam referendae ſunt coeterae quae obſervantur, $29.''$ $6.'''$ ita ut Lucernae jam minor evadat $3.''$ $2.'''$ adeoque ea multo magis, quod etiam veriſimile videtur, ſuper horizonte marino elevata, nempe juxta *Mariotteam* ſupputationem pedd. 2544. juxta *Scheuchzerianam* 2611. juxta *Caſſinianam* vero 3021. In ſummitate vero Montis mercurii depreſſio erit $7.''$ $3.'''$ & propterea elevabitur ſuper imo horizonte juxta *M.* 6354.'' *S.* 6525. *C.* 9484. & ſi ſubtrahatur ab hiſce numeris, montis altitudinem exprimentibus, reperta altitudo Lucernenſis, elevatus erit Mons ſupra Urbem juxta *M.* 3810. *S.* 3941. *C.* 6027. pedd. cum autem numerum altitudinis geometrice inveſtigatae non aſſequatur *Scheuchzerianus* calculus, ſed illi addendi ſint 1143. pedd. *Caſſinianus* autem excedat 942. verior numerus erit non quidem praeciſe inter *Scheuchzerianam* progreſſionem & *Caſſinianam* medius, ſed qui inter 20, qualis differentia à priore ad poſteriorem ſupponitur, locum occupabit 11.um

Haec autem preſſius enucleare, licet operae pretium eſſet, ſuperſedemus, accuratioribus adhuc aliis experimentis indigentes; ſufficiet itaque perpendiſſe $\frac{1}{19}$ ferme parte, in quam atmo-

 ſphae-

ſphaerae altitudinem diviſam concipimus, Montem attolli, & aëris in iſta altitudine creſcentem magis magisque raritatem conſideraſſe, quae ad minimum $\frac{1}{4}$ parte jam major eſt quam ejus, qui mari incumbit infimi; ſimiliterque etiam eadem ratione imminutum pondus, ut mirum nobis videri haud debeat tot phaenomena, quae in editis hujusmodi locis obſervanda ſunt, occurrere.

In ſtatu aëris tranquillo, ubi ille vix ſenſibili aliquo fluxu agitatur, & imprimis dum Notus Boreasque quieſcunt, tanta eſt & profunda quaedam rerum omnium taciturnitas, ut ipſam fere Pythagorae coeleſtium, ſi quae eſſet, orbium harmoniam exaudire tibi liceret, & medio die illud cimmeriarum noctium ſilentium vincat:

Cum nulli volucrum cantus, cum nulla ferarum,
Non hominum vox ulla ſonat:
- - - - *vacuusque ſilentia ſervat*
Horror.

Imo ſi quis editur ſonus adeo de ſe deperdit & imminuitur, ut longe ab alia cauſa procedere eum jurares. Sclopeti exploſiones aſſimilaveris fragori, qui a baculo, dum diffringitur, edi ſolet, niſi quod poſt longum ſatis temporis intervallum, magno & diutius inſonante murmure, ſurſum denuo retinniat. Praeterea etiam multo tardius poſt viſum in majori diſtantia exploſae bombardae ignem fumumve, ejus obtuſus ſtrepitus ad aures defertur, quam in inferis locis ſolet, ubi eum intra quinque ſecundorum tempus unum Milliare Anglicum emetiri conſtat, poſt 7″. imo 8″. in Montis ſummitate ex 1000. paſſuum geometricorum diſtantia demum ad aures noſtras perveniſſe animadvertimus; quem effectum non ſane minori aëris montani agilitati, ſed raritati, ad undulationes ſoniferas minus habili, adſcribimus: expertum eſt enim in antlia pneumatica, quantum aër exſuctionibus attenuatur, tantundem etiam ſonum intra eam imminui.

Viſus

Digitized by Google

Viſus é contra in ſummis his locis intenditur, nam ſereno coelo, diſtantia locorum eadem, coeterisque paribus, objecta diſtinctius cernuntur, quam in imis vallibus, nec in longe diſſita caliginoſus eſt, quemadmodum horizonti vicinus eſſe ſolet; praecipue autem matutino tempore exhalationibus nondum in atmosphaeram excitatis, aut ſtatim poſt pluvias, ubi inhaerentes adhuc aëri aqueae particulae inſuetam pelluciditatem promovere credimus; ſed nihil profecto taedioſum magis, quam ſi, quod frequenter accidere ſolet, vapores in nebulas & nubes ſeſe condenſantes ampliſſimos jucundiſſimosque proſpectus auffurantur, & vel te involvunt, vel ſubjectam undique regionem contegunt, quae quaſi mari quodam ſubmerſa videtur, è quo altiorum montium faſtigia totidem velut Inſulae prominent.

Summa porro univerſalis vitae pabuli hic puritas exiſtit, nullis penitus craſſioribus effluviis inquinata, quum potiſſimum ea leviore aëre haud ſuſtineantur, ac circa ima ſubſideant: & ſi quae ſunt quae iſthuc e vallibus, aut ex ipſo etiam montis ſolo aſcendunt, levi flatu everruntur; hinc odor aëri nullus, niſi fortè ſuavis ex herbis floribusque alpinis, quibus proprium eſt, in editis hujusmodi locis odoratiores eſſe, deinde etiam videbitur tibi corpus agilius redditum leviusque, ac ſi ſe thorax quodammodo ampliaſſet, reſpirationem magis expeditam, licet frequentiorem judicaverim, etiam poſtquam ab anheloſo aſcenſu non modicè quieveris, defoecatae illius aurae, ejusque placidi motus & gratae frigiditatis, in laſſitudinis mulcedinem, delitiis fruens; niſi enim aëris ex ſerena in tempeſtuoſum mutatio proximè inſtiterit, quo tempore is non aliter ac inferis in locis calore moleſtus eſt, ſemper frigidiuſculus percipitur, imo algidus fermè ſi ex ſeptentrionis plaga flatus regnaverit. Et quia veluti a coeterorum montium conſortio ſeparatus ac ſolitarius quodammodo Pilatus jacet, undique irruentibus ventis, ſed maximè qua meridiem, & qua aquilonem transverſa latera opponit, patet. Infeſtari autem eum potiſſimè ex ultimo dicta orbis regione validis flatibus, prop-

 terea

terea deducitur, quod prope ſummitatem exſtantium arborum non trunci duntaxat, ſed & rami in oppoſitam plagam, Notum videlicet verſus, contorti ſpectentur, ita ut horizontis cardines ex horum ſitu colligere liceat, imo ex iis aliquae hinc inde reperiuntur emortuae, tantum ventorum injuriis & nivium, grandinum, pruinarum ac imbrium exercitatae & roboratae, ut quernum etiam lignum, cum tamen Pini ſint, duritie vincant, ferri aciem ferme reſpuant, imo ignem ipſum, vix enim flammas excipiunt, ac aduri patiuntur. Illud autem conjecturae non parvi momenti anſam praebet, quod juxta vetuſtos hoſce trunos qui altius ad montis dorſum ante ſecula quaedam in tantam proceritatem excreverunt, nullae aliae juniores pini abietesve ſuccreſcentes ſed ii ſolitarii obſerventur; accidit hoc etiam in aliis ſummis Helvetiae locis. Superſtat exigua ſylva raris conſita abietibus Oppido Urſellae in Gothardo Monte, quae incolis ceu agger eſt contra nivium labinas, quamque propterea ceu ſacram habent, neminique vel ramum caedere, penuria licet illic lignorum ſit maxima, permittitur; nihilominus non ſine taedio obſervant incolae juniores alias vix adoleſcere, & ſi adultae ſemel conciderint, vallo ſuo aliquando ſe privatum iri praetimeſcunt, ex quo non ita abſurde quis ſuſpicaretur vel ventos noſtro aevo quam quondam vehementiores & frigidiores eſſe, & jam arborum ſummis his locis ulteriorem vegetationem omnino prohibere, aut demum ipſam pejorare naturam, & re ipſa ut jam ſuo tempore Esdras, Philo, & D. Cyprianus prodiderunt, mundum ſeneſcere.

Venti autem qui frequentius in Montis vicinia ſpirare ſolent, & quorum major accolis, frequentem navigationem in ſubjecto Lacu exercentibus, ratio habetur, propriis nominibus, uti cujusvis regionis popularibus in conſueto eſt, inſigniuntur. Orientalem ſeu Subſolanum nominant *Schönwind*, cum ſerenitatem plerumque afferat; Euro-Notum vel Euro-Auſtrum *Foehn:* Auſtrum ſeu potius Auſtro-Africum *Hasle-Foehn;* Africum *Regen-Wind*, quia eum plerumque pluviae ſequuntur:

Digitized by Google

quuntur: Borolybicum ſeu Zephyro-Boream *Arbys:* Aquilonem ipſum *Bys; Oſterbys* denique Arctapelioten ſeu Euro-Boream.

Qui ex occidentalibus plagis affluunt venti, Africus videlicet, Favonius & Borolybicus, pluvias & tempeſtates utplurimum cient, quod etiam Auſtro-Africus aliquando efficit: Euro-Auſter autem, ſi placidus fluit, aëremque nubibus haud replet, quemadmodum frequenter fit a verno aequinoctio ad autumnale, non tantum ſerenus eſt, ſed juxta quod augmentum & maturitatem fructubus promoveat, aëri placidum teporem, corporibusque, quam alias Boreales venti, quos retundit, intercipiunt, tenuem transpirationem promovet: ita ut vix alias quam flante hoc vento in ultramontanis hisce regionibus apud aegros criſes obſervemus, notante hoc idem *Ex.* D. F. Hofmanno in *Obſerv. Baromet.* econtra autem ſi vehementer magis ventus iſte irruit, turbidus eſt, quod maxime ingruente Autumno & aliquando primo Vere fieri ſolet, nimio propterea tepore moleſtus, quem non parum augent altiorum montium Lacum concludentium veluti fauces, intra quas ab exhalationum, vaporumque veluti attritione magis adhuc incaleſcit, copioſiſſimas ſimul aqueas particulas, unde plurimum humectatur, ſecum ex tepefacto Lacu arripiens; hinc eſt ut vix alibi magis, quam apud nos caput gravet, languorem & toto corpori veluti aegritudinem inducat, de quo vix non quivis noſtrum tunc temporis ſe conqueritur, quibus tamen malis redeuntes ſeptentrionales aut orientales flatus, qui meridionales expellere ſolent, medentur.

Veruntamen non perpetuo tepentes his in locis ſpirant auſtrales hi venti, hybernis enim menſibus, Januario, Februario & aliquando ſub Martii etiamnum initium, cum proximae Alpes in meridiem ſitae altis nivibus jacent contectae, ſatis frigidi perſentiuntur: & quo magis in plagam occidentalem vergunt, etiam aeſtate frigeſcunt, cum uberrima vaporum copia comitati largos imbres frigidosque afferant, imprimis vero ſi

Afri-

Africus aut Zephyrus aut Borolybicus, quod non raro contingit, ſimul afflant, vel ſibi ex transverſo illidunt, vel alius altiór ſupra alterum inferiorem quodammodo in contrarium fluit; tunc enim

- - - - ad altum denique montem
Contruſae nubes coguntur, vique premuntur,

quae paulo poſt in horridas procellas abſcedunt. Quod ſi ineunte aeſtate prima hujusmodi procella ad Montem ſe efformaverit, omnes reliquis aeſtivis menſibus futurae, hunc itidem ſitum occupabunt, & hac ex plaga advenient, quod perpetua accolarum obſervatione conſtat. Mons etenim cum praealtus ſit, & in Alpium termino veluti conſtitutus, primos ventis obices ponit, & propterea inter eos recenſendus, qui vulgo *Wetterſcheiden* nominari ſolent, *Bresl. Samml.* 1722. Jun. p. 561. Etenim quae advehuntur nubes, maxime ob multam aquarum copiam graves, ideoque in aëris regione infimas, ſiſtit ac remoratur, unde creberrimae illae circa eum furentes exhydriis, imbribus, grandine, tonitru & fulguribus procellae, ex quo infamis Mons redditus, utpote cum iſta ab infeſtis Pontii Pilati Manibus concitari crederentur.

Sed non ſaltem nubes advectas colligit mons noſter, ipſe etiam earum veluti pater eſt; quia enim aëris motum remoratur, liberumque ejus commeatum ex auſtro in ſeptentionem intercipit, vapores aquei cum vicinius congeruntur, & in moleculas ſeu ſi vis bullulas grandiores ſeſe jungunt, in tenues primo nebulas, deinde in nubes condenſatae, ex ſuperis radicibus ad ejus verticem paulatim emergunt, quem veluti pileo contegunt, ex quo uti jam diximus etymon ejus aliqui derivant; iſta nubis veluti corona flantibus occiduis ventis, ſecuturam ſerenitatem haud indicat, nam paulo poſt adeo adaugetur, ut brevi totus mons obtegatur, niſi violentiore aliquo ex oriente aut ſeptentrione flatu abripiatur: illi quippe nubi aliae & aliae ſe mox conjungentes, niſi tandem in imbres pluviasque abſcedant, ſaltem nubilum obſcuratumque coelum efficiunt: haud

haud aliter, quam in plurimis aliis montibus accidere compertum habemus. Legimus in *Relatione Itineris Suecici p.* 95. D. Friderici Leopoldi amoeniſſimum collem *Kinna - Kulle*, ab Olao etiam celebratum, ſignum praebere etiam poſt biduum, triduumve, ſecuturae tempeſtatis certiſſimum; caligo enim opaca vertici circumfuſa turbulentam protendit ac nuntiat, qua diſſipata ſerenitatem & ſudum coelo reſtitui ſine errore cognoſcitur. „ Procreaetur, (ſic Jo. du Choul de ſuo „ *Monte Pilati* qui in Galliis prope Lugdunum eſt) in vertice „ Pilatini nemoris quaedam exhalatio, quae ſtatim aut futura „ tonitrua vel imbres ſignificat; fit praeſagium hoc pacto: „ ſi caligo aquilone flante in altum conſurgat, ſudum de„ notat, aliter conſidere continenter ſolet, & hoc pluviae „ manifeſtum ſignum eſt. „

Ita & apud nos ſi ejusmodi nubium pileus poſt pluviales dies, aut ſub Notapeliotis flatu, ad noſtri Montis ſummitatem conſcenderit, certum futurae ſerenitatis ſignum eſt, uti etiam ſi ſummo mane aeſtivis menſibus ſub ejusdem venti, vel Euri flatu, tenues ibi nebulas, quae tamen paulo poſt ſurgente ſole evaneſcunt, cernimus, hinc natum illud nobis Montis accolis ſerenitatis prognoſticum axioma:

Wann Pilatus hat ein Hut,
Iſt das Wetter ſein und gut.

Si Pilatus pileatus,
Aër erit defoecatus.

Inſtantium quoque pluviarum indicium praebet nunquam fallax, quod & ceteri montes ſolent, ſi nitidior cernatur, & veluti oculis appropinquatus, ita quidem ut ſolitaria ſaxa, fiſſuras, ſtrata, & alia hujusmodi objecta, diſtincta magis viſione aſſequamur: ſudo quippe coelo, & duratura ſerenitate longinquius diſtare, ob intermediam quandam caliginem, videtur; adjuvant enim aëri permixti aquei vapores, cum copioſi ſunt, ſed nondum in nebulas condenſati, viſum, qui

è contra ſdum ſiccis magis exhalationibus atmoſphaera inficitur, offuſcatur.

Hoc item quoque cum aliis praeruptis magis montibus ei commune eſt, inſtantibus pluviis ad ejus rupes inconditum quendam, ſuperas radices incolentibus pecuariis ſaepius audiendum, ſonum edi, quem imperiti facile tumultuantibus neſcio quibus ſpectris adſcripſerint; atmoſphaera enim dum imbriferis ventis agitatur, incipit

. . . . aridis altis
Montibus audiri fragor . . .
. . . . . & nemorum increbeſcere murmur.

Sed illud magis forte proprium habet, quod licet nitidius ſol occumbat, & undique ſerenum ſit coelum, ſi ſuperis radicibus & ſylvis tenues ſaltem nebulae ceu fumus quidam injaceant, certas pluvias promittat, hae enim ea nocte adeo adaugentur, ut die ſubſequente Montem iis omnino conditum deprehendas, totumque pene horizontem obtectum, ſeſe poſtmodum in aquas reſolventes; quae quidem, hyemalibus menſibus exceptis, vix aliter & perpetuo contingere didicimus, eo enim tempore calvities Pilati rarius denudatur

. . . cinctum aſſiduè cui nubibus atris
Incanum caput,

niſi boreales venti pertinaciores ſerenitatem, gelidumque ſudum adduxerint.

Porro circa ventorum phaenomena adhuc memorandum occurrit, quod Pilatus & ejus, veluti interfluente Lacu abruptum, ac freto revulſum, brachium, mons *Burgen*, Borea flante, alius & ſecundarii venti cauſa ſit; cum enim ille ex alto adveniat praecipiti Montis obſtante jugo reflectitur, & in aliquam per Lacum diſtantiam in contrarium fluit: nautis *Lopper* vocatur, illis ſumme exoſus, quippe qui aquas veluti verberare conſuevit, undasque & fluctus valide navigia quatientes excitare,

tare, contra quos non niſi laborioſe illis remigandum eſt. Utplurimum hic ventus in nubi coelo & ſub primis noctis vigiliis obſervatur.

Sunt demum & Venti circa Montem perpetuo veluti ordine, imprimis a Vere in Autumnum, & certis quique temporibus ſpirantes, quos ſtatos vocant, qui tamen non niſi ſereno, & expurgato nubibus aëre regnare conſueverunt. Mane poſt octavam a media nocte horam utplurimum lenis Africus perſentitur, qui deinde ſole meridianum aſſequente remittit: ſed mox eum excipit Subſolanus, uſque ad veſperam ſpirans, quem paulo poſt mitior Euro-Boreas, vel ipſe Aquilo ſequitur, non niſi poſtquam ſol per inferum meridianum culminaverit, reclinans.

Haec quidem de aëris Pilatini natura, & conſuetis magis accidentiis; ſubjungimus nunc quae per vices in eo, circaque eum occurriſſe notata habemus, ad Atmoſphaerae Meteororumque hiſtoriam ſpectantia.

Inſolitae Annorum Tempeſtates.

1343. Ingens aquarum in Lacu augmentum.
1473. Sicciſſima aeſtas, fontes pene omnes ad Montem & viciniis exaruere.
1565. Hyems adeo gelida, ut totus Lacus, ſimulque *Urſa* rapidus fluvius, obgelaverint.
1568. Aquarum memorabile incrementum.
1595. Hyems itidem frigida, Lacus iterum obgelavit, uti & Annis 1600, 1608.
1609. 13. Januarii ex Montis vicinia fraga matura in Urbem importata: Decembri praecedente arbores plurimae & herbae florebant.
1614. & iterum 1683. Lacus itidem ſpiſſa glacie obtectus eſt,

Et qua plena rates carbaſa tenderat,
Tauriſcis teritur ſemita nunc trabis.
Stat pontus vicibus mobilis alteris,
Navem nunc facilis, nunc equitem pati.

Procellae memorabiles.

1333. Ad ſolſtitium aeſtivum ſub veſperas tempeſtas enormiter procelloſa cum effuſiſſimis exhydriis. Vallis ad ſeptrionales radices ex ea plurimum perpeſſa eſt, praecipue autem Urbis noſtrae parti occidentali exitioſa fuit, hanc enim maxima parte proſtravit, proſtrata alta alluvione complevit enormiter exundans *Krienbach.*

1425. Alia, ejusmodi ferme, circa idem tempus.

1475. 24. Junii veſperi, ex oborta ad Montem procella, iterum furibundus *Krienbach* radices Montis & planitiem, quae nobis *Krienzer - Boden*, ad radices Montis ſitam, maximis damnis vaſtavit, & Micropoli noſtrae proximam ruinam minatus eſt.

1530. 2. Auguſti alia iterum, quae horrende etiam ſaeviit.

1549. Ad diem Aſcenſionis grando ingens, gallinaceis ovis glacierum glomis magnitudine paribus.

1554. Horrida iterum 20. Julii tempeſtas.

1556. Septembri enormis procella quadrihorium durans, qua domus dirutae & muri dejecti.

1570. 28. ejusdem, alia.

1581. Primo Januarii tempeſtas cum tonirru & fulguribus.

1587. 20. Maji & 1592. 18. Martii grandines ingentes & damnoſae.

1547. 24. Julii alia procella circa Veſperas.

1616. D. Laurentii die alia.

1701. 30. Julii dies triſtis Lucernenſibus memoriae, hora enim pomeridiana ſecunda cum tonitru ſubitaneo & modico in editam turrim, quorum decem ſunt, quae moenia in ſummitate collis excitata ex occidente in orien-

orientem concludentia, defendunt, ordine quartam, fulmen ex parva nigricante nube exploſum illabitur, pulveriſque tormentarii, qui illic aſſervabatur, 250. centenarios momento accendit; ſupera turris pars illico in aëra horrendo fragore ſublata, & diſſiliens, immanium ſaxorum grandine urbem ferme omnem verberavit, cumque eodem impetu & tempore lacunaria turris inferae in inferiora dejicerentur a delapſis ſimul pulveris doliis, ignem etiam arripientibus, quae ſupererat ejus pars omnino & funditus everſa eſt; immani autem & ſubitaneo tanti accenſi ignis impetu, & copioſa ſaxorum pluvia, vix aedificium ſupererat, quod non aliquid perpeſſum eſſet; tectorum tegulae effractae & loco motae plateas replevere, feneſtrae, & haud exterae tantum domorum, ſed & conclavium, portae & oſtia, è valvis excuſſa, parietes emoti: plurimi incolarum ſubitaneo impetu ſtantes ſedentesve in terram proſtrati; per octo & ultra milliarium diſtantiam ictus impetuoſitas ſeſe extendebat: in *Sylva Dei* ettenim feneſtrae quoque diſruptae & in *Malters* aliqui ſcamnis dejecti; ſubſequebatur autem mox profuſiſſimus imber, quo per effracta tecta & rimoſas domos torrentis inſtar ingruente, ſupellectiliis damnoſiſſimo, tragica cataſtrophe, quam quivis non niſi in ſui, propriaeque domus, excidium imaginabatur, deſiit. Verum de quo ſummi Numinis tutelae gratiae perſolvendae, non plures quam ſex homines tota Urbe perierunt, pauciores adhuc laeſi, interquos quidem Excell. D. Nuntius Apoſtolicus numerabatur. †

1738. & 1741. 10. Auguſti, ob damna & terrorem memorabiles, ſed de quibus, utpote proprio magis loco, in capite ſequenti.

† ABRAHAMUS de CHAMPRENAUD elegiaco carmine, cum *Birſici* rivi apud Baſilienſes exundationem 6. Julii, memorati anni deſcripſit, etiam hanc procellam eleganter proſequtus eſt. *v. Stoicheiograph.* SCHEUCHZERI *p.* 116.

Aurorae Boreales.

1575. 28. Septembris prima nocte inſtructae in coelo veluti acies viſae, congredientes, & ceu pyrotechnica arte in bellicum uſum paratis ignibus dimicantes; aſcendebant autem ignes tanquam ex iride, ingenti ſplendore ac fulgore, cujus crus orientale tardius quam occiduum diſparuit.

1612. Menſe Auguſto aeſtuoſiſſimo per aliquot noctes ex illuminato in Septentrionem horizonte frequentes fulgores in altum aſcendentes viſi, incendia ſimulantes.

1726. 19. Octobris Aurora Borealis per Italiam, Galliam & occiduam Germaniam obſervata, etiam apud nos, ſed admodum debilis, animadverſa.

1731. Noctibus inter 2. & 3. inter 3. & 4. & inter 7. & 8. de quibus Scheuchzerus, *Coelum Triſte p.* 34.

Halo.

1575. 3. Maji Halo ab undecima matutina ad $1\frac{1}{2}$. pomeridianam circa ſolem inſignis, ad Pilati regionem obſervatus.

Irides Lunares.

1725. 25. Julii[1], hora 10. poſt meridiem Iris lunaris duplex ex Urbe in plagam orientalem viſa.

1726. 24. Julii, hora itidem 10. ad 11.am p. m. alia verſus Septentrionem, tricolor: flava ad circumferentiam convexam, violacea ad concavam, media vireſcens: in obſcuro ſatis viſibilis illucentibus vero fulguribus, erat enim eodem tempore procella, momentanoe evaneſcens, iterumque in tenebris comparens.

Globi & Dracones igniti.

1564. Draco ex Pilato in Regium Montem evolans, totam viciniam illuſtrabat, igneos floccos flammasque de ſe ſpargens.

1566.

1566. Menſe Auguſto, poſtquam jam per horam ſol occubuerat alius ex Regio in Pilatum tendere viſus.

1578. 25. Septembris, globus igneus in ſeptentrione Montis comparens, diſco Lunari magnitudine vix inferior, qui in terram delapſus evanuit; circa idem tempus tribus ſubſequentibus Sabathi diebus crucem igneam, cum vexillo purpureo & praegrandi ſtella ab aliquibus iſthic viſam eſſe refertur.

1605. 24. Septembris, alius globus igneus ex Pilato ſuper *Burgen* in Regium trasvolavit, ſtrepitum in fine ſui curſus veluti tormenti bellici edens.

1606. Menſe Aprili, iterum globus igneus a piſcatoribus animadverſus, qui ex alto decidens in Lacum ſe ſubmerſit.

1666. Iterum Aprili, è Regio Draco igneus ſupra *Viznavium* evolavit, de quo Elias Loretus *in Mundo ſubterraneo* A. Kircheri *L.* VIII. *p* 117.

1711. 20. Martii, hora matutina quinta globus igneus iterum ex Pilati latere auſtrali verſus Regium moveri viſus, ſtrepitu tandem diſſiliens, quem exaudiens juraſſem a majori tormento editum.

1720. 19. Martii, alius globus ſimilis hora poſt mediam noctem octava a Pilati radicibus, & ex vicinia *Sylvae Dei* in regionem Euro-Boreae ſupra urbem noſtram in vicinos colles evolavit, magno itidem crepitu diſparens.

Hos duntaxat igneos Dracones, ſeu potius Globos & forte *Bolides* Plinii, certis temporibus obſervatos & connotatos reperimus, frequentiores tamen comparuiſſe plures aliae de iis hiſtoriae, quae crebrae admodum inter accolas circumferuntur, innuunt; ex quibus etiam docemur ſynonima iis eſſe igneos globos & igneos dracones, ſic enim illi: *Es iſt ein feuriger Drack oder Kugel gefahren.* Cur autem tam frequentia in viciniis hisce hujusmodi Phoenomena comparere ſint ſolita, aut exhalationibus tum quondam magis copioſis, & circa Montem congeſtis, ac demum fermentatione quadam, (antiperiſta-

ſim

ſim Scholae aſſignant) [*] accenſis attribuendum, aut forte ut mihi videtur praecipua eorum cauſa fuit crebra ſylvarum in Monte utroque tam Regio, quam Pilato exuſtio; cum etenim magna lignorum copia in praegrandes ſtrues, diametri quandoque quatuor vel ſex etiam hexapedarum, congeſta, & multa terra, limoque ſedulo, ceu ſub ingenti furno quodam conoïdeo, contecta, ſepulto & repreſſo igne comburitur, expulſa è lignis ſulphura oleoſique & reſinoſi craſſiores denſique halitus, quos piceae & abietes copioſas praebent, in glomos veluti rotantur & compelluntur, qui coarctati ignis vaporumque multitudine ac vehementia, vix aliter ac in metallicis tormentis militares globi ejaculantur, ex ſtrue iſta propelli ſolent: & poſtquam aliquousque ac longinquius ſaepe projecti, ipſo incenſi glomeris adjuvante igne motum, avolarunt, tandem cum, vel ſine ſtrepitu disparent, prout major minorve circa eorum centrum ex compulſis illuc nitroſis, ſulphureis, commixtis quoque aliqua portione aqueis particulis conſtantes nuclei, calore ſubitanee incenſi uno impetu rareſcunt & diſploduntur, aërem, ex quo ſtrepitus oritur, momentaneo impetu verberantes. Confirmat opinionem globus anni 1720. is enim ex ea regione erumpere deprehenſus eſt, qua tum temporis carbonaria ſtrues exurebatur, ut & obſervationes aliae non paucae, de quibus videndus *Celeberr.* WOLFII *Experimentorum Tomus* II. §. 127. & *Annalium Vratislavienſium* 1718. *Martius*, *Claſſ.* iv. *Art.* 7. Itemque *Februarius* 1724. *Claſſ. eadem Art.* 5. ubi hiſtoriae proſtant hujusmodi globorum, quos proprio nomine illic vulgus *Lupos* vocat, e furnis piſtoriis, & cubiculorum focis prorumpentium, longinquius quandoque ejectorum, & demum etiam cum fragore evaneſcentium. Quondam crediti ſunt hujusmodi globi veri Dracones, veluti & ipſe RENWARDUS CYSATUS opinabatur, ut patet ex ejus *Tom. B. p.* 115. & neſcio quae triſtia omina eorum comparitiones, non ſecus ac quondam Cometarum, ad quorum geneſim & naturam, ſi parva

[*] REINGERUS *Meteor. Diſſ. I. Q. V.* 15.

Digitized by Google

parva magnis comparare fas eſt, hi globi ignei accedere videntur, ut apud NEUTON. *Princ. Ph. p.* 487. item HARTSOEKER *Conjectur. phyſiques p.* 37. eſſe perhibebant; putabant autem a Salamanticis diſcipulis, Magisque, Dracones hos aliorſum ab hinc evocari, ut eorum ſanguine, lapidibus, corde aliisque reliquiis ad artificia ſua uterentur, ſibique perſuadebant poſt eorum exceſſum, ceu abductis Heſperidum cuſtodibus, mala certò ſequi, aquarum praecipuè inſolitas exundationes.

Terrae motus.

1573. Terrae motus occiduam Urbis partem, quae ad radices Pilati jacet, concuſſit.

1548. Alius, quo ſimul tota Helvetia contremuit.

1601. 8. Septembris omnino vehemens & eo effectu ut aqua *Urſae* fluvii ex una parte in Lacum reflueret, ex altera juxta alvei ductum delaberetur, medio ſpatio arido apparente. In vicina Pilato Subſylvania tres domus, cum octo perſonarum excidio everſae, nec ceſſarunt repetitae concuſſiones per quinque dies. Tota Europa & magna Aſiae pars ſimul hoc terrae motu quaſſatae ſunt.

1684. 26. Februarii prima nocte ſatis vehementer terra noſtrâ intremuit.

1721. 3. Julii hora $8\frac{1}{4}$ matutina concuſſione aliquot momentorum, imprimis humilior Urbis portio cis Ruſam contremuit; praeter ſtrepitum quem tigna tectorum & lacunaria edebant nullum aliud damnum illatum, in templis autem potiſſimum erat ſenſibilis: decidere fragmenta aliquot ornamentorum gypſeorum e fornice P. P. Jeſuitarum. Eo tempore territorium *Baſileenſe* ſenſibiliter magis concuſſum fuiſſe, relatum eſt.

1728. Die 3. Auguſti hora $4\frac{1}{2}$ veſpertina terrae motus, quo ſpatio 30''. Urbs noſtra, imprimis minor, motu huc illuc vacillante concuſſa eſt.

Digitized by Google

1735. 12. Junii, hora fermè 6. a meridie, duae concuſſiones momentaneae quidem, ſed ſatis validae, animadverſae ſunt, ita ut mallei campanarum horariarum ſonum dederint, & campanilium pyramides vibrationes egerint ſatis validas, ut mihi videbatur ex occidente in orientem; horae uno minuto a prima commotione poſterior ſecuta eſt.

1755. 9. Decembr. hora 2. & 35. minuta poſt meridiem, cum tota fermè Europa ſatis valide Lucerna cum ipſo etiam Pilato concuſſa fuit.

Peſtes & Mortes frequentiores.

1313. Peſtis, quae per totam Germaniam, etiam in Pilati adſitis territoriis immaniter graſſavit.

1374. Alia item ſaeva, qua tertia hominum pars extincta eſt.

1550. Januario menſe in his locis mortes ſubitaneae plurimorum, ſubſequente eodem anno peſte.

1564. Alia peſtis denuo apud nos invaluit, plurimis occumbentibus.

1604. Inter Bovinum genus peſtilens morbus, cum tuberculis in lingua: quibus ea ferro aperirentur, interibant, ſi autem argenteo cuſpide, ſanabantur.

CAP. IV.

Hydrographia Pilati.

Aquas terreni globi ſuperficiem perreptantes, ab altioribus locis & montibus, ceu inexhauſtis penuariis, prima ſua ſtamina & ſcaturigines potiſſimum trahere, ſatis omnibus patet; propterea apte admodum Montes Hydrophilacia ſalutantur: excipiunt etenim tam extrinſecus quam intrinſecus in ſuis viſceribus aquas, quibus rivuli, fonteſque initiantur. Aquas dicimus

Digitized by Google

dicimus adveɗas: nam quis cum Seneca ſtatuet Montium terram in aquam reſolvi, & ſic fontes progignere? *N. Q.* III. 9. 10. Non aeque autem nobis licet hydrophilacia iſta eum omnino praefigurare in modum, qualia depinxit alicubi liberalis nimium naturae Genius, qui totas montium moles excavat, & ſpatioſiſſima affabrè admodum fornicata hypogaea, [nihil oblitus praeter, juxta ordinem Toſcanum aut Ruſticum, ſuſtentantes columnas,] intra eviſceratos ſubſtituit, in quae per providè ordinatos canales & ſyphones, magnos ac parvos, ſurſum verſus cacumina ab imis terrae interioribus truſae aquae, jugi fluxu exonerentur, illaeque ſic veluti in Maria aenea collectae, demum circum circa ad cavi Montis externa latera, & radices pro formandis ſcaturiginibus diſtribuantur. Quâ autem vel vi vel arte ſurſum hucuſque enitantur aquae, & ultra, caeteroquin tam ſanctè à natura obſervatam libellam, aſcendant, ſi quaeras? ajunt ab aqua marina, utpote graviori, ſurſum leviorem & per arenas edulcoratam ad aequilibrium pelli: deinde etiam procellis agitati maris decumanos fluctus, montibus excelſis aequè altos, in ſublime, multum etiam diſſitis in locis, illam protrudere. Addunt Atmoſphaeram ſuo pondere liberius ampliſſimam Oceani ſuperficiem premere, & ſic interraneas, in quas ponderantis aëris vim integram non eſſe, propulſari: capillarium tubulorm vel tenuium ſyphonum experimentum allegantes, quibus non abſimiles minimos canaliculos fiſtulasque amplis faſciis, iisque longiſſimis, intra telluris viſcera, ceu lymphatica quaedam vaſa exſtare; ut opinionem ſuam tueantur, audacter contendunt. Felice Stocchetti *Ragion. p.* 154.

Non vacat plenius quanti haec aſſerta habenda ſint, ventilare; utpote ab aliis jam ſatis excuſſa: nullos, ne dicam paucos fontes ad hujusmodi modos oriri credimus: illud equidem non abnuimus, interranea telluris, fiſſuris, cryptis, antris, cavernisque inordinatè diſpoſitis, ſtrictis hic amplioribus alibi, atque plurimis hiare, inanibus aliquibus, ſine humore ut Seneca ait, aliis ignibus, aliis & plerisque quidem

aqua repletis: ex quibus porro per ſtratorum ſtrictè ſibi incumbentium, tamen aliquo uſque patentes commiſſuras, aut ſabulo repletas, etiamſi varie ad horizontem inclinent, aſcendere poſſunt: vel etiam ignium ſubterraneorum calore ſublimari, ut poſtmodum fontes aliqui ita naſcantur.

Sed ex eo maxime Montes aquarum theſauri nomen promerentur, & plerorumque fontium veluti promptuaria haberi, arbitror, quod ex illis illabentium nivium & pluviarum aquae, ſolidis rupibus & cautibus exceptae in inferiora prolabantur, aut fiſſuris, ſi quae ſunt, & cavis meatibus hauſtae, vel arenoſa & ſabuloſa injacente terra abſorbtae, demum ſaxoſis aut argillaceis ſtratis, ne quoviscunque profluant & diſpereant, ſuſtentatae ac collectae, & juxta eorum ductum & clivoſitatem derivatae, elutriata tandem via foras & in auras, ſub fontium nomine, prorumpunt: qui primo rivulos confluendo, deinde rivos aut torrentes, & noviſſimè flumina & fluvios efficiunt, ac propterea non immerito, ceu pro affluente è Montium promptuario munere & dono habentur.

Pluviales autem ac nivales aquas [illas vaporum ad Montium cacumina, & intra illorum rimas & antra reſolutorum, quemadmodum poſt ARISTOTELEM *Meteor. L.* I. HALLEJUS *Act. Lond.* 1692. *n°.* 193. contendit non comprehendendo] fontium & fluviorum originem conſtituere, praeter PEIRESCIUM *in Vita L.* III. 202. LEONARDUM LESSIUM *de Provident. Numin.* & ISAAC. VOSSIUM *de orig. Nili*, comprobat etiam non rejiculis argumentis D. COLONNE *Hiſt. nat. Tom.* III. 47. & calculo demonſtrat D. MARIOTTE *Mouv. des Eaux* 37. & necdum quartam, imo ſextam etiam, ſi vis, earum partem requiri, quod idem ipſius Montis noſtri exemplo comprobari poſſet. Namque cum in eum frequentiores uti diximus pluviae cadunt & nives, facilè ſtatui poteſt, quovis anno ad minimum 36. digitorum, ſeu trium pedum altitudine aquam ejus ſuperficiei illabi, tantundem enim Lucernae quovis ferme anno decidere obſervatur, non computatis inſolitis

ſolitis & non vulgaribus procelloſis imbribus & exhydriis; quia autem Montis ſuperficies cum ipſa ejus adjacente acclivitate, imas in occaſum & ſeptentrionem extenſas radices haud in calculum ducendo, ſit 36. quadratorum milliarium Italicorum, ſeu pedum quadratorum 900000000, tota pluviae quantitas unius anni decurſu erit 2700000000. pedum cubicorum, cujus ſi quartam ſaltem partem intra terram abſorberi, tribus reliquis evaporationi, vegetationi, & torrentium temporario augmento, attributis, ſupponimus, nempe 675000000. pedes cubicos pro alendis perennandisque fontibus: quovis horae minuto profluent ex Pilato 1284 & $\frac{1}{2}$ fermè pedes cubici aquae; tantam autem ingentemque quantitatem, ſi ſcaturigines omnes rivosque hujus calculo comprehenſi ſoli in unum componeremus, nequaquam profundi, facilè attentus arguet, imo vix ultra medietatem hujus quartae partis, tempeſtate impluvia & ſicciore inſumi; adeo ut merito colligamus magnam adhuc earum partem vel ultra ipſam extimam cruſtam non defluere, vel ſi defluat, aut torrentes ciere, aut etiam per ipſas rupium fiſſuras & hiatus, omnino in infima delabi, ſine dubio uſque dum in eundem ac proximi Lacus horizontem penetraverint, quocum communicare illas haud abſonum credimus.

Et profecto non ex alia, quam praedicta cauſa, eſt, quod circa ſummos Montis tractus tam paucae ſcaturigines occurrant; ex meridionali enim latere tres duntaxat ſummo feſſorum & aeſtuantium taedio, profluunt, qui duos rivulos, aeſtivis ſiccitatibus tenues admodum conſtituentes, ad imam vallem, ut torrenti quem *Schlueren* vocant, & qui ex occidente in ortum recta quaſi labitur, ſe conjungant, praecipites ruunt; primarius eorum occiduus magis, aquas vehit limpidas gelidasque ſed graves; in valle illa, quam ſecundarium jugum cum primario efformat, in Alpe *Laub* ſatis alto loco oritur; alter, cujus aquae minus clarae & albicantes, Soli omnino obverſus, facilè incaleſcit, ita ut ambo ad potum minus idonei ſint. Tertius qui ex *Antro Lunari* profluit

tenuis admodum rivulus, poſt breve ſpatium iterum intra ſaxa ſorbetur, aut ſiccefcit, hujus maxime aqua dura & gravis eſt, faucibus enim pota reſiſtit, per quas aegrius deſcendit, ſaxum manifeſto aut calcem ſapiens, eaque fermè de qua Poëta,

- - - - quae ſaxea reddit
viſcera - -

hanc praepoſteram qualitatem in ipſa ſua origine acquirit, delabitur enim guttatim per rupium fiſſuras in antri cavitatem, cujus parietes, usque dum in pavimentum pervenerit, lambit & eluit, ſaxorum ſubſtantiam perpetuo madore exſolvens, quod dum fit lapideis ramentis tenuioribus impraegnatur, relictis ad concavas antri ſuperficies, & haerentibus craſſioribus terreisque magis ſub luti albicantis forma, de quo mox ſuo loco dicemus. Quod autem aquae in hoc antrum continuo confluant, mirum videri haud debet, ſi perpendimus illam in ſummo monte exſtantem planitiem, quam *Widerfeld*, ſupra diximus nominari, in occaſum, nempe verſus cavernam iſtam inclinatam, vix non ſex continuo menſibus altis nivibus ſubmerſam eſſe, reliquis ſex frequentibus & magnis ſaepe pluviis irrigari.

Sic quoque ampliſſimum ſpatium Montis ad ſuſtentandam alteram ſcaturiginem, in facie hac de qua loquimur meridionali, ſiniſtrorſum ſitam, concurrit, quod in valles excavatum, non exiguam aquae quantitatem derivat: cujus tamen major pars ſubtus terra delabi neceſſe eſt: progenitus enim ex ea rivulus modicus eſt admodum, & quia per petrarum calcariarum fragmina, ac collapſa marceſcentia & ſenio confecta ligna devolvitur, non niſi, quam cui intollerabili ſiti fauces exuruntur, grata eſſe poteſt.

Ortum ſpectans Montis latus, licet ad duo milliaria in longitudinem extenſum, paucos itidem admodum fontes numerat, & unico duntaxat rivo in proxime ſubjectum Lacum

Alpe-

Alpenacenſem delabente, conſpicuum eſt; qui & ipſe in ſupera illa valle, inter duo juga ſita, qua parte in ortum inclinatur, ſcaturit, & praeceps admodum ruit; addi huic vix meretur alius ex hoc latere rivulus, ſed tenuis adeo, ut vix collectus illico iterum inter ſaxa diſpareat; naſcitur is è rupis crepidine ſeu antro quod circa mediam altitudinem hujus jugi hiat, & ejusmodi, cujus paulo ante meminimus, incruſtatione limoſa notabilis.

Paulo feracius perennium aquarum, quae ſub dio manant, eſt latus Montis ſeptentrionale, & qua occaſum ſpectat, utpote rivis aliquot, inter quos duo non adeo tenues, irriguum, & qui in ipſa Pilati Schenographia aptius oculis perluſtrantur quam ſermone ſingulatim deſcribuntur; hoc autem omnibus commune eſt, ut torrentes quoque imbrium vi adaucti evadere ſoleant: aquasque eorum ad potum haud ineptas eſſe. Imo quae Lucernae potiſſimum ex publicis fontibus uſu veniunt, ad radices hujus Montis ſcaturiunt: meliores ſine dubio futurae, ſi ſcaturiginum ipſarum ſelectus haberetur, & minus itineris, quod proxime trium milliarium eſt, intra abieginos tubos, quandoque vix unius pedis altitudine infra terram ſepultos, illis eſſet emetiendum; ſunt ettenim inter graviores fontanas & leviores medii ponderis, ſaporis alieni fermè expertes, & cum ebullierint auricalceis vaſis tenuem admodum tunicam, veluti ex Tripolitanae terrae ſubtili pollinis aſpergine, relinquunt.

Inter hujus lateris rivos vero, ob horrendas exundationes notandus imprimis eſt ſic dictus *Krien-* vel *Grien-Bach*, quia juxta lapillorum & calculorum, ſaxorum magnam vim, ſi vel minimum increſcat ſecum rapere ſoleat. Fons ejus verſus ſummum Montis non longe a ſcopulorum *Caſtelen* dictorum radicibus in Alpe *Boneren* ex herbido ſolo copioſo latice è ſcrobicula prorumpit, qui & comites meos & me aeſtuantes gelida ſua gratiſſima non ſemel refecit. Defluit is recta quaſi in Septentrionem, accedentibus deinde paucis aliis fontium

fontium rivulis aliquatenus auctus, alveo maxime declivi, & inter horridas anfractuoſasque crepidines excavato, mox paulo minus inclinato, deinde iterum praecipiti & ſcopulis conferto demum in flumen *Emmen* irrumpit. In itinere ubi alveum minus praecipitem diximus ad initium vallis admodum amaenae quae in orientem verſus Lacum, & Lucernam excurrit transverſim & ad radices montis in occaſum ſiti profluit: hinc ſi pluviis vel imbribus augetur, quod frequenter accidit, facile ex alveo redundat, & humiles ripas vel tranſcendit vel perrumpit, & per planam vallem prolabitur; imo quondam totis undis, vel ſaltem potiſſima earum parte, hac defluxiſſe, ex planitie ipſius vallis, & illius maxime quae ad meridiem Urbis noſtrae jacet, deduci poteſt; utpote cum alluvionibus efformata deprehendatur; ſtrata enim ſubterranea modo ex glarea & lapidibus, modo ex ſabulo eodem quod etiamnum torrens advehit, alternatim conſtantia deprehenduntur. Imo ipſam Urbis partem meridionalem cis *Ruſam* his alluvionibus inaedificatam aliquoties luculenta veſtigia demonſtrarunt; Anno enim 1577. cum pro Scholis publicis, & Anno 1587. pro primo *P. P. Jeſuitarum* Templo fundamenta effoderentur, reperta ſunt tria ex ordine è majoribus lapidibus, quos impropriè vulgus ſilices nominat, platearum pavimenta, unum alteri pedibus ſex ſuperſtans, & adhuc ſub imo horum erecti quaterdecem pedales pali, quibus procul dubio aedificii alicujus fundamenta quondam ſuperinſtructa fuere; ſimiliter ſubtus *P. P. Franciſcanorum* Monaſterium amplae adhucdum exſtant cavae, alluvionibus fermè repletae, quae quondam culina, vinariae cellae & forte etiam triclinium fuerant; exſtructum enim eſt, & fundatum, ab ultima Stemmatis *de Rothemburg* Comitiſſa Gutta, A°. 1223. taceo referre quod ante non multos annos cum pro ſplendida domo *Seriniana*, prope ipſum hoc monaſterium, fundamenta foderentur, ad 10. pedum profunditatem veſtigia officinae ferrareae reperta ſint, & mulorum ſoleae ac murices quadricuſpidati intra lapideam concham, qua ferra extingui à fabris ſolent, jacentes.

Quia

Quia vero tot alluvionibus praedictae Urbis parti certiſſimum excidium minabatur hic torrens, neve fertilis illa vallis omnino deſolaretur, ac fundi maximè laudatae Comitiſſae e-verterentur, authorem fuiſſe, ſed vacillante admodum fide, D. Franciscum *Aſſiſiatem*, qui circa illa tempora apud eam & Lucernenſes ad monaſterium inſtituendum operam navaſſe narratur, ut argine exſtructo recta intra alveum totus coerceretur, anguſtae etiam fauces, per quas inter rupes illi via non ſatis patebat, ampliarentur; quod & ita factum eſt, parva ſaltem rivi portione per aperturam cavi trunci cratibus cuſtoditam in vallem admiſſa, qua rotae molendinorum & aliarum machinarum per vallem ad urbem uſque frequentium, verterentur.

Nec quidem ſic diu res in tuto manſit, quin antiquas lites torrens renovaret. Notatas habemus damnoſas eruptiones Annorum 1333. 1475. 1530. 1554. 1557. 1570. quae plerumque vel ad Julii menſis exitum vel circa initium Auguſti accidêre. Propterea A°. 1577. proprii operarii ſub Praefecti directione, & annui pecuniae reditus conſtituti ſunt, à quibus continuo vel novis alluvionibus repletus alveus liberaretur, capris & ſuculis evulſa enormia ſaxa in ripis locando, vel aggeres ſedulo reficiendo & cuſtodiendo; imo non temnendis diſpendiis, rupes, quibus intumentes aquae nimium coercebantur, aliquoties, annis maximè 1572 - 77. 86. exciſae ſunt viaque iis amplior profundiorque reddita.

Sed quis ſatis edomaverit torrentem? etenim

> - - - *Alpinus largo cum plurimus imbri*
> *Jupiter incumbit ſylvis, vel anhelitus Auſtri*
> *Incanas hyemes, & Brumae frigora ſolvit;*

ſubitaneis aquis ex omni parte magna copia confluentibus, horrendum in modum ſolet intumeſcere: & cum per praecipitia labatur, exeſa montis viſcera ſecum devolvit, ingentem videlicet non terrae duntaxat arenae & calculorum vim, ſed ſtupendae molis ſaxa, & ſuffoſſis radicibus collapſas integras pro-

ceriſſimas abietes; ita ut alveus, maximè ubi is anguſtior & minus inclinatus eſt, momento fermè expleatur ac obturetur. Tunc furentes aquae congeſtas ripas & laborioſos aggeres ſubter & ſuper aggrediuntur, eosque pauca intra minuta eluvione ſuffodiunt, effringunt, disjiciunt, praecipites agunt, & immani impetu qua facta porta in vallem erumpunt;

> \- - - *Tumidas cum vortice Torrens*
> *Saxa rotat, volvitque nemus, pontesque revellit:*
> *Frangitur objectu ſcopuli, quaerensque meatum*
> *Spumat & illiſa Montem circumtonat unda.* CLAUD.

Vidimus enim non ſemel quidquid obvium eſſet furibundum & perniciſſimum torrentem arripuiſſe, caſas, horrea, ſtabula, officinas fabriles, malleos ingentes & incudes aliquot centenariorum ponderis, fabriles Machinas & Molendina ſubvertiſſe, & aliquouſque evexiſſe, & quidvis obvium hominum ac pecudis, arripuiſſe. Vidimus radicitus evulſas proceras arbores, maximos illarum caudices & truncos ad tabulas ex iis ſcindendas deſtinatos, pontes & aggerum tigna, per vallis planitiem abducta, & quod agricolae maximè deplorarent, eroſa fertiliſſima prata, ſepultos ſub advectis lapidibus, & altis arenarum tumulis, campos:

> *Cernit cum ſtabulis armenta natantia paſtor;*
> *Sternuntur ſegetes, & deplorata colonis*
> *Vota jacent, longique perit labor irritus anni.*

licetque per longam trium milliarium planitiem diſperſas aquas, laſſatas credere fas eſſet, attamen denuo collectae magnis adhuc & furentibus fluctubus, non duntaxat in foſſas ſubmoenianas, ſed per ipſam Urbis portam, & illam aperturam, qua rivus in eam admittitur, irruerunt; cumque ſuo alveo capi non poſſent, per plateas exundantes, & undequaque excurrentes, aedes in ipſas ſe trudebant, & domus quaevis veluti inſula facta eſt, mutuumque hominum auxilium pontes itidem evertendo, reſcindebant: demumque cum immanis

nis impetus tandem deferbuiſſet, limo ſabuloque advectisque quisquiliis repleta cavaedia, & compita relinquebant; & profecto habemus in hoc torrente, quod merito ac in poſterum timeamus, ne is aliquando operam omnem eludens Micropoli noſtrae funeſto vix non ſit excidio

Utinam Patriae ſim vanus haruſpex!

Triennio poſtquam haec ſcripta ſunt, Anno nempe 1741. 10. Auguſti rediit denuo hujusmodi aerumnoſa inundatio, & in eo terribilior maximè, quod tam à Pilato quam aliis etiam vicinis Montibus ingens aquarum vis à ſubitaneis circumquaque exhydriis delapſis, collecta & effuſa impetuoſiſſimè non ſolum in Urbis foſſas, ſed & per ipſas vias extra foſſas in proximum Lacum rueret, pontemque, qui primum Anno 1333. exſtructus fuit, & diu póns novus vocabatur, nunc *Cappel-Bruck*, plurimarum arborum truncis advectis, non quaſſavit duntaxat, ſed etiam tignorum jugamenta disjecit, viam in Ruſae alveum ſternendo & proruendo. Inſanabile fermè ulcus immanis hujus torrentis & unicum mihi ad inhibendas Urbem verſus ejus exundationes remedium videbabatur, ſi alveus profundior illic redderetur, ubi torrens verſus Emmae Flumen per crepidinem anguſtam admodum delabitur; quod conſilium ab Aedilibus probatum, executioni mandatum fuit. Ex eo tempore haec bella & quaerelae deſiiſſe videntur, & adhuc minus pertimeſcendae eſſent, ſi ſtricta illa crepido, per quam defluentes aquae maxime impediuntur, aliquot pedibus adhuc, vivum ſaxum igne & ferro eiiciendo, excavaretur.

Ferocia huic torrenti in eo duntaxàt cedit alius magis in occidentem ſitus, quem *Rumling* a rumore trudentium ſeſe aquarum ſine dubio ſic dictus, quod, ubi magis a ſuis fontibus diſceſſit, per loca ruat in hoſpita & inter inacceſſas rupium fauces ac barathra impune debacchetur, niſi oſtio vicinus, ubi *Emmae* illabitur, nam riparum munimina illic ſubvertere ſolet,

& quandoque inſtratum pontem abripere, & proximos campos inundare; antequam ſtricturas illas, ſublabitur, vallem *Eithalam* permeat, ſatis pacificus, & aggerum patiens; iſthic etiam ſapidiſſimas Truttas alit, ut & ranas praegrandes eſurialibus diebus prae cunctis exquiſitas. Fons ei non unicus, ſed primarius, in Alpe ſupera, non longe a Pilati palude ad clivum dorſi in occaſum protenſi montis, oritur; eſt fons iſte altiſſimus omnium montis noſtri, niſi forte rivulum ex lunari caverna effluentem excipias; alitur diuturnis nivibus & frequentibus pluviis: illae raro Auguſto etiam menſe omnes liqueſcunt, cum parum admodum orienti ſoli pateat locus. Ingratus eſſem, ſi beneficium a nive hac acceptum conticerem, cum enim aliquando in ſuperum occidentale jugum aſcendiſſemus, exoptato nobis refrigerio fuit: curavimus quippe ejus copiam aſportari qua vinum, praeferendum omnibus, in hujusmodi excurſionibus analepticum, algidum reddidimus, unusque ex comitibus, qui abſtemius erat, & omnis aqua longe lateque abeſſet ſitim aeſtumque, eam uberrime ſorbendo, nec minima ſubſequente noxa, temperavit. Frigida, & ipſa nivalis tutius in montibus bibitur, etiam copioſe, quemadmodum teſtatur Scheuchzerus contra Simlerum, *de Alp.* 124. *b.* de ipſa etiam glaciali *Nat. Geſch. P. III. p.* 114. & jam dudum quoque notavit Gesnerus in Deſcriptione Montis noſtri, cauſam aſſignans juxta poſitionem contrarii, quia calor nativus intra ſe magis colligatur & augeatur, adjuvante etiam aëre his in locis vix non ſemper frigidiuſculo; addit porro motu & ambulatione citius incaleſcere, nec ad cor illico frigidam rapi, juxta quod partim per ſudorem, partim per urinam facilius inanietur. Prior vero ex eo ſalubrem ſtatuit quod in primis viis humorum acrimoniam temperet, ſanguinis in venis nimiam concitationem, ejusque evaporationem remoretur: pondere ſuo ad renes immunditias trudat, & demum flaccidis fibris tonum reſtituat.

Sed quid? edic mihi, ad refocillationem ex continuo per ardua motu aeſtuanti corpori noſtro exoptatum magis, jucundius,

dius, item & ſalubrius eſſe poteſt, quam frigidae hauſtus, qui ad ſummam rareſcentiam concitatos humores mitigat, ebullientes veluti in quietem reducit, ultra modum evaporantes retinet, & quod iterata exſpiratione & adaucta tranſpiratione humidi copioſe diſſipatum eſt, reſtituit, concentratasque ſalinas acres & acidas particulas, ſulphureas item viſcidas tenacesque denuo reſolvit & diluit. Ipſe vaſorum diameter, non duntaxat ob minus in ſummis hiſce locis atmosphaerae pondus ampliatus, ſed & rareſcentis liquidi elatere ſumme dilatatus, in naturalem reducitur, reſtrictisque & roboratis fibris, cum inteſtinus vehementior motus reprimitur, progreſſivus augetur, ita ut quae etiam infarcta obſtructaque fuerant, aut lentore humorum irretita, reſerentur ac emundentur.

Sed quemadmodum

Nil prodeſt quod non laedere poſſit idem:

ſuis quoque cum cautelis gelidae montium adeo celebratae bibendae ſunt; qui etenim mox a motu concitatiore aeſtuans & anhelus, ac corde adhuc ſubſultante hujusmodi avidius ingurgitaverit, certo laedetur, inprimis ſi modum haud ſervans affatim ingerat, nam per intervallis diſtinctas vices, & mediocribus ſcyphis hauriendae, ac poſtmodum iis ſaturi neceſſario iterum inſtituto motu eas diſtribuat & digerat neceſſe eſt: qui ſecus fecerit vix innocuam, quaecunque illa ſit, experietur, nec illam in *Hoia Orcadum* ſcaturientem bona, D. R. Sibbaldi venia, exceperim, quam adeo ſtupendae laevitatis depraedicat *Prod. H. N. Scotiae P. I. L. I. p.* 23. ut ſi quis potando integrum dolium in ſtomachum trajicere poſſit, nullatenus ſe graviorem inde effectum ſentiret. Ex ſubitanea etenim gelidi potus conſtrictione fibrarum, & intra tenuia vaſcula ac exiles tubulos, tum qui recta excurrunt, tum qui in maeandros & glandulas glomerati ſunt, fluitantium humorum refrigeratione, ſtaſes facile inducentur, & ſcirrhorum aut tuberculorum initia; ac poſtmodum appulſu ſubſequentium incrementa, à quo Dispnoe ac tuſſes pertinaces ſaepe chro-

 nicae,

nicae, deinde ſanguinis per tracheam eruptiones, & demum ut verbo dicam, Phthyſis ipſa, ulcus & Tabes pulmonalis. Omnino juxta *Divini Senis* effatum *Aphor.* v. 24. & *L.* II. *de Diaet. S.* 16. ubi gelidum humidum in corpore congelare pronuntiavit. Sed nec praecordia duntaxat pectusque laedere, dorſum praeterea & ventriculum, imo oſſa, dentes, nervosque *L. de Liquid. Uſu.* §. 18. *& ſeqq.*

Et profecto ſi perpendimus quod vix alicubi frequentius, quam apud Pilatini Montis proximam Super- & Sub-Sylvanorum Gentem Morbi pectoris ſuppuratorii, ipſaque Phthyſis pulmonalis obvenire ſoleat, vix non primariam cauſam gelidae potum accuſabimus: hujusmodi enim plurimis fontibus montana illa Regio gaudet, utpote qui ex Aquiloni obverſis Montium lateribus maximè profluunt; hos toto anno, ſed aeſtate potiſſimum, avidè bibit gens illa, cum ſuis laboribus exercetur

- - - - - alto
Amne ſitim levat, & victu contenta minuta eſt,

ut Glareanus noſter meminit; & quia ardua regio, neceſſe eſt monticolis illis ex profundis vàllibus alta ſcandere, & armenta, hybernumque pro iis pabulum ſectari; unde corpus plurimum incaleſcit; ita ſitibundi ad obvios quosque fontes aut rivos gelidam intemperantius hauriunt, quae ſubitaneo illapſu aeſtuantibus eorum viſceribus eam labem infert, quam primo indurata tubercula, deinde tabes & ſanies inſequitur; concurrunt introducendo, augendoque malo quotidianus ſeri lactis, ejusque ob illecebras frigidi, nec calentis, potus, quo profecto ob conjunctam aciditatem, & potentialem, ut Scholae vocant, frigiditatem ad figendum ſanguinis cremorem nihil aptius & pejus; deinde etiam difficillime concoquendi, & ventriculi niſibus triturandi, caſei tenacis & avarè ebutyrati frequens & vulgariter ſine pane eſus: ventique demum nunc tepentes humidi Auſtrini, mox Aquilonares & Helleſpontii ſicci gelidique, quibus patentior in hujus regionis valles aditus eſt, qui

non

non ſaltem in Pulmonibus millena vaſcula calente ſanguine turgida alluit, ſed & perhiantia cutis foraminula irrumpit, atque inducta ſtrictura liberum ejus meatum ſuſtollit.

Verum illud certè montanis aquis non denegandum, quod minus aliis, ſi ſua cum cautela bibantur, noceant; puriores enim & molliores ſunt, ut laudatus ſaepe Gesnerus *in Deſcript. Mont.* etiam teſtatur. Noſter itineris Socius hydropota praedictus, cujus teſtimonium, quia vino & aliis ſpirituoſis liquoribus palatum ſuum nunquam exuſſerat, apud me plurimum valet, nullibi, cum tamen multas regiones peragraverit, meliorem ſe bibiſſe jactabat, quam ad pedem rupium Pilati: ridens ad aquam inſipidos Oenopotas continuo ingeminabat illud ferme Castoris Durantis

Hanc mihi ſi quis aquam dederit, vinoſa valete
Pocula, nam vincit optima lympha merum.

Cauſam bonitatis hujus exponit Doctiſſ. Scheuchzerus *Itin. Alpin.* II. *p.* 71. Ego propterea maximè puto laudabiliores montanas, quia ex alto profluant, ſequitur enim quod leviores ſint, utpote origini ſuae vicinae, ettenim cum ex coeleſtibus colligantur, hae vero omnium leviſſimae ſint, & illas leves eſſe oportet, frigidus enim montium aër & imminutum in iis atmosphaerae pondus minus apta ſunt, ad depraedandum aut expellendum, quod ſubtile & tenue aquae habent, cumque intra puriorem terram, utpote clivoſam perpetuis pluviarum elutionibus depuratam, abſorptae percolentur, adventitiis partibus haud inquinantur, imo ſi quid etiam heterogenei in ipſis nubibus concepiſſent, facilius in colatorio hoc puriore deponunt & amittunt.

Paulo infra, de qua ante primam rivi *Rumling* ſcaturiginem, Auſtrum verſus prope ex male junctis abiegineis truncis exſtructum tuguriolum, quod totius Montis altiſſimum eſt, alius fons effluit, cujus aqua ingrata admodum manifeſte terreſtre quid ſapit, & color in fuſcum tendit. Anne haec illa ſit, quae

quae Tertianae paroxiſmos depellendi vim habeat, ex Gesneri ſuccincta nimis mentione erui vix poteſt: nec apud hodiernos Montis accolas ullius circa haec confinia fontis ejusmodi viribus praediti memoria exſtat. Ea tamen virtute hanc aquam pollere facile crediderim, etenim ad terrae tumulum colligitur, qui vix alia herba quam *Biſtorta Alpina media* denſiſſime eſt conſitus, hinc pluviales & nivales hujus plantae ſub terra annoſarum & marceſcentium radicum tinctura & viribus medicis imbui facile eſt, quae cum adſtrictoriae ſint & alexipharmacae, haud dubitamus, ſubeunte paroxysmo ab affatim hauſta hac aqua, & deinde inſtituto, non perfunctorio, qui in his locis alius eſſe non poteſt, corporis motu, ac propulſo ſudore febrim depelli, quam aliis remediis rationi minus conſentaneis ſaepenumero cedere obſervamus. Sed quidquid de hac ſcaturigine ſit, eam tamen uſui quondam alicui ſpeciali deſtinatam fuiſſe propterea arguimus, quod ex oſtiolo profluat, non niſi ſtudio compoſitis lapidibus conſtructo.

Inter fontes ob frigiditatem ſui laticis commendandos, celebris etiam eſt, qui in *Gelidi Balnei* uſum adhiberi ſolet; ſcaturit is ad ultimum ejus in Africum excurrens jugum, loco Entlibuchani Territorii qui *Blatterſchwendi* dicitur, prope Alpem, *a Fratribus* dictam: *Zu den Brüderen.* Aqua fontis ſoterii cavo & capaci trunco colligitur, cui ſe Balneantes, quemadmodum Galenus monet ſubitanei immergunt, ſed robuſtiores etiam vix ultra ſemi minutum frigiditatem ſuſtinent, hinc bis, ter, quaterve immerſionem repetunt, ut morbum repetitis veluti ictibus repellant. Laudatur ab accolis rheumaticos arthriticosque dolores abigere, cephalalgiis mederi, febres quoque intermittentes deſtruere: cujus effectus teſtem audivi pecuarium, unica ſaltem vice ſubeunte paroxysmo, hoc algido ſed momentaneo amuleto a diutura Quartana liberatum. Fuit autem frigidorum Balneorum excellentia ab omni aevo celebrata, uſusque eorum apud omnes ferme populos, Graecos, Latinos, Arabes, Indos, imo Germanos, non ignotus nec infrequens; quemadmodum legimus apud Hippocratem *L. de*

Humid.

Humid. Uſu & *Epid.* *L.* I. 17. II. 10. & *Aphor.* V. 25. PLINIUM *H. N. L.* XXIX. *C.* I. XXX. GALENUM *L.* I. *ad Glauconem.* STRABONEM *in Geograph.* *L.* LXV. ORIBASIUM *L.* VI. *C.* 27. ARRIANUM *de R. G. Alexand.* *L.* II. CURT. *L.* III. Rem autem ex profeſſo agentem laudamus ADAM. BRENDELIUM *Diſſert. de Balneis Veterum*, juxta alios Recentiores quam plurimos, praeterquam enim quod ſimpliciſſimi & faciliime parabilis lavacri genus eſt, non duntaxat praenominatis affectibus medentur hujusmodi balnea, ſed innumeris ferme aliis, quos ex D. FLOIERI *Inquiſitione Balneorum Angliae* huc tranſcribere ſuperſedemus. Hinc eſt quod non unice hoc, de quo nobis nunc ſermo, gelidum Balneum ſed alia etiam intra Helvetiae limites ab immemorabili tempore laudentur, quorum recenſionem fecerat D. WAGNERUS *Hiſt. Nat. Helv.* 123. & *ſeq.* & adauctam magis D. SCHEUCHZERUS *in Hydrograph. Helv.* 295. & *ſeq.* inter illa duo ſunt alia Pilato contermina: Celebre illud in *Montis Regii* jugo occidentali ſatis frequentatum: alterum in Subſylvanis Alpe cui *Riſchi* nomen. Agunt autem, ſi opinio non fallit, triplici actione in corpus humanum; duae ſunt & calidis communes, pondus & humectatio, illud quidem tantisper majus, haec autem quam in calida, minor; tertia frigiditas eſt, hac humidorum motus progreſſivus preſſione & ſtrictura promovetur, & proinde inordinate diffuſus calor a peripheria ad centrum cogitur, è quo poſtea, ceſſante retropulſionis cauſa, vividius denuo radiatur, cum ſimul etiam flacceſcentes fibrillae ex laxis reſtituantur in tenſas. Sed ſi ullibi illud ſagacioſum medicorum dictum, remedium quidem eſſe certum pro morbo, ſed anne aeger ſit etiam pro remedio? hic certe penſitandum eſt; requirunt enim haec Balnea ſua peculiaria ſubjecta, quae robuſta ſint, denſa, firmiter carnoſa, nec ante tertium, nec citra ſextum ſeptenarium conſtituta, virilia potius quam ſequioris ſexus; nec niſi aeſtivo & ſupra horizontem ſatis elevato ſole illis mergantur; tendunt huc etiam *Divini Senis* monita, *de ſalubr. Vict. rat.* *S.* 4. *Oper.* 338. *de Veteri medicina* §. 93. *Aphor.* V. 21.

Non procul ab hoc gelido in eandem plagam alterum etiam celebre Balneum jacet, quod antiqua denominatione *Kragen-Bad* vocant; eo calefacto utuntur, juvatque potiſſimum oculorum caligini & lippitudinibus: curat annoſa ulcera, quorum dolores illico ſopit, crurum maxime aut pedum; diſcutit quoque oedemata, rheumatismis, paralyſibus, ac etiam contracturis medetur; coeterum nec alvum movet nec urinas, ſed ſudores & hos inprimis circa caput. Color ſedimenti, quod copioſum vehit, ſubfuſcus: dum nondum exſiccatum & adhuc molle tenax quodammodo ut ceraſorum gummi; digitis attritum pinguedinem imitatur, imo pinguedo aliqua canalis, quo deducitur, lateribus adhaeret, ac balneantes ſe veluti inunctos ſentiunt: luculento indicio aquam oleoſum pinguem ſulphureum ſuccum ſecum ferre; abundare autem ejusmodi ſuccum in ſubterraneis hujus viciniae, alii etiam manifeſtum ſulphur olentes fontes, teſtantur, in proximo etenim Monte *Schein-Berg* duo ſcaturiunt vix inter ſe diverſi, & odore, ſapore item & colore, cum aquae eorum tantiſper nigreſcant, loturam bombardarum imitantes, ſulphurque cum admixti nitroſi & calcarii ſalis & nigricantis bituminoſae terrae portionem prodentes.

Ad ipſas etiam Pilati radices aliae duo ejusmodi ſcaturigines ſulphuratarum aquarum promanant. Prima ad pedem jugi, quod in orientem excurrit *Lopper-Berg* dictum; è rimis rupium ad ipſam Lacus ſuperficiem oritur, ita ut aquarum lacuſtrium augmenti tempore, menſibus videlicet aeſtivis, omnino vena ejus ſubmerſa ſit, & non niſi reliquis pateat. Sulphur vulgare olet & ſapit, coeterum limpida: veruntamen cum adeo infelici loco emergat nullis uſibus eam aptare poſſibile eſt; de quo quidem propterea magis dolendum, quod altera huic perſimilis, quae in *Rotz-Loch* ſtricto Lacus freto a *Lopper Berg* reciſo, & vix 1000. pedibus diſtante loco e variis fiſſuris ſcaturiebat, ab aliquot annis deperdita fuit; cum enim ejus fontes propinqua eſſent cataractae, per praecipites rupes illic delabentis rivi, accidit ut iſto ſubitaneis imbribus immaniter aucto

&

& tumultuante, aquae ſulphuratae meatus ſubterranei deſtructi fuerint, & jam illae, alíorſum, nec ſub dio elabentes, omnino evanuerint. Utebantur eis ad potum, & culinam: etiam in victu ſalubres, itemque ad Balneum, quod quondam, cum viribus integriores adhuc eſſent, Anheloſi, Rheumatici, Elumbes, Calculoſi, Steriles utero, Scabioſi & Ulcerati, cum fructu adibant, quemadmodum ex ſchedis Patris mei p. m. *M. D. & Phyſ. Lucer.* colligere licet; plurimum deceſſit huic loco a balnei iſtius jactura, quod ſatis apto aedificio cultum fuerat; ſubſiſtunt tamen adhuc molendina frumentarium & chartarium juxta malleos rivi lapſu commotos.

Non praetereunda eſt putealis illa aqua, quae vix 500. paſſibus ab Urbe Pilatum verſus in planitie ſcaturit, in Praedio D. D. Schuhmacher; eſt autem ingrati admodum ſaporis nitroſo-vitriolici, & odoris ſulphurei foetentis; ex Gallae injecto pulvere fuſcum acquirit colorem, & coeruleum inflectit in purpuram; hyeme qualitates iſtae vix deprehenduntur. A pyritarum exſolutione, aut micarum hujus naturae, quae ſabuloſo & friabili ſaxo, frequenter in his tractibus obvio interſperſae offenduntur, illas promanare credibile eſt. Plures eam adeunt, quam antlia ſublatam potant, impari vero laude: ſunt tamen qui illam intermittentes febres abegiſſe affirmant, ventriculum roboraſſe appetitumque reſtituiſſe; item cachecticos pallores virginum ſanaſſe. Vidi ex Pleuritide Empyematodem, qui cum tarde admodum convaleſceret, uſu hujus aquae meliorem ſanitatem acceleravit.

Inter Pilatinos fontes, quibus aliquid ſingulare ineſt, referri meretur temporarius ille, quem ex eo majalem vocant, quia Majo menſe manare, & Septembri denuo evaneſcere ſolet. Oritur is parum ſupra Lacus horizontem ad imum Pilati pedem in Sinu Alpenacenſi, paulo ultra fontem ſulphureum, cujus paulo ante meminimus; pluſquam religioſa religio feſtos aſſerit Inventionis & Exaltationis *S. Crucis* dies, quibus & non ultra citraque erumpere ſoleat. Sed jam A. 1667. Elias

Loretus notavit hos terminos tam ſtatos haud eſſe: a ruſticis enim ſibi relatum narrat, anno priori aliquot diebus tardius emanaſſe, quod quidem etiamnum contingere, imo ſaepe anteverterere illum tertium Maji obſervatur: & ſimiliter pluribus aliquando diebus ante vel poſt decimum quartum Septembris deficere: prout nempe nives glaciesque in ſummo monte citius tardiusve ſolvuntur, a quibus, ſubterraneis rimis & cavitatibus exceptis, fons alitur. Experimentum hujus rei fecerunt aliqui Monaſterii Angelomontani Religioſi circa alium conſimilem fontem qui in eorum territorio prope *Graven - Orth* ad ipſam viam, loco quod *Kaltlee* nominant, erumpit; aſcenderunt enim ſummitatem imminentis Montis, & quas in patentem illic gurgitem, quem hyeme glacies & nives obſtruunt, copioſas frumenti glumas injecerant, a ſcaturiente in ima valle e rupibus amplo fonte denuo eructari obſervarunt, qui illic pro experimento ad excubias ſtabant. Cum autem in Monte non niſi Sole Taurum ingreſſo nives liqueſcere, & gurgitis orificium a glaciebus reſerari incipiat; illo autem ad Libram properante iterum conſtringi & gelari, mirum non eſt fontis reliquo anni tempore fluxum intercipi. Nec abſimili modo contingere credimus phoenomena Rivi in Pilati ſocio Monte, ſed humiliore, *Bürgen*, qui ad ejus Ortum jacet, & à jugo Montis *Lopper Berg*, parvo Lacus ſpatio reſecatur, prima aeſtate defluere ſoliti; ruunt ejus aquae praecipites in Meridiem, ſed non continuo & perenni defluxu: ettenim pluries per diem ceſſat, deinde iterum recurrit. Nives enim Monti injacentes, cum non niſi Sole perſtringente liqueſcant, & fluant, ſi hujus radii variis obſtaculis, nubium nempe intercurrentium, ſylvarum, ſcopulorum ex oppoſito ſitorum & prominentium umbris intercipiuntur, deſinente liquefactione & aquae fluxus ceſſat, qui tamen mox poſt temporis intervallum redit, dum Sol in ſitum proceſſerit, ex quo nives radiis verberari iterum poſſunt, qui & denuo liquari deſinunt, ſi ejus ignes praedictis intermediis objectis de novo arceantur. Nec aliam cauſam coeteros periodicos fontes agnoſcere facile crediderim; & ipſum etiam *Engſtlanum*, tam celebrem

non

Digitized by Google

non excipio de quo toties laudatus Plinius noſter *Itiner. Alp.* V. 404. & *Hydr. Helv.* 128. Cum enim non niſi ſumma aeſtate de die, & irradiante potiſſimum Sole in altiſſimis montibus, ad quorum imum ſcaturit fons ille, liqueſcant nives, harum aquae per cava Montis delabentes, non niſi aliquot horarum ſpatio & veſperam verſus per rupium fiſſuras ad infima pertingunt, ubi in apricum emergere ſolent, fluxu tamdiu continuant, quousque earum liquatarum penus tota effluxerit; ad exortum nempe ſaepius ſequentis diei, quo tempore deinde evaneſcunt, cum nocte praecedente liquari in Montis ſummitate nives etiam deſierint. Quod ſi dies nubili vel frigidiores aliqui, aut Aquilonii flatus, menſibus illis aeſtivis, quod non infrequens, inciderint, & ideo glaciei liquatio impediatur, fons omnino non comparet, quod antiqua accolarum ſuperſtitio ab injectis & illapſis ſordibus, veluti ob contaminationis vindictam contingere credit. Sed Naturae haec Magia eſt, ſimpliciſſimo ſemper modo agentis, & injurioſum me illi eſſe crederem ſi Syphonibus, Diabetibus & Situtis culminantibus eam indigere tum facile ſtatuerem. Meminere porro Fontium temporariorum paulo ante deſcriptorum Leop. Cysatus *Libro ſaepius citato, p.* 248. & ex eo Elias Loretus in *Mund. Subterr.* Kircheri *L.* VIII. 116. Wagnerus *H. N. H.* 131. & *Doct.* Scheuchzerus *Itin. Alp.* V. 406. *Natur-Geſchicht. T.* II. 104.

Expedita modo fontium, rivorumque pro modulo noſtro hiſtoria occurrunt Paludes vel Lacus quorum duo Monti injacent, Lacunae potius dicendi, tertius ejus radices aliqua ex parte alluit. Ordiamur a famoſo illo & decantato *Pilati* nomine celebri. Aſcenſus ad eum facilior eſt ex *Eithal*, ex latere quo Mons occaſum aeſtivum reſpicit per Alpem abruptis rupium fragmentis hinc inde diſperſis non parum defoedatam, *Froh-Staffel.* Via, ſi eam cum aliis aviis & deviis hujusmodi montanis comparaveris, ardua licet, & quam non quivis inceſſerit, ſatis tamen commoda eſt, & armentis etiam trita. Poſtquam in dorſum rupis pervenimus quod horae circiter

Digitized by Google

ſpatio adipiſcitur, monſtrant pecuarii in vicina petrâ cavitatem ſemilunarem, quam ego non niſi caſu ineſſe, vel ab otioſo aliquo exſculptam judicarem, illi autem pro caballino vel Daemonis illius de quo *Cap.* I. diximus, veſtigio venditant. Iſthic ſylva rupi inſidet quae in meridiem facili clivoſitate extenditur, & convallem format non inamoenam quam rivulus permeat fontibus ante memoratis oriundus. Sylva annoſis conſita eſt Pinis, denſa & umbroſa, cujus

Subter opaca quies, vacuusque ſilentia ſervat
Horror, & excluſae pallet muta lucis imago.

Lucum dixeris ſacrum

Quo poſſis viſo dicere Numen adeſt,

ſi fabulis fidei tantillum adhibueris. Concludit enim Avernalem veluti, tetram nigramque paludem; quam è mucoſo, & ob fracida ligna marcido atroque ſolo nivales & pluviales aquae iſthic confluentes ſtagnando conſtituunt. Figura ejus inordinata circumſcriptione ellyptica eſt, & quemadmodum eam A°. 1725. Julio menſe reperimus, Tab. VI. Fig. 5. exhibemus. Tota ejus longitudo tum erat 154. pedd. & 78. latitudo maxima. Alias menſuras habet *Itinerarium Alpinum* I. *Tab.* II. *p.* 28. A°. 1702. Imo Renwardi Cysati temporibus circa 1560. 100. paſſus longitudine, & 50. latitudine aequabat. Etenim non eadem ſemper eſt, neque fuit paludis area, nec illud verum, quod in Vadiani *Mela*, *Tit. Cyraenaica*, relatum legimus, hybernis nempe Pilati Lacum nivibus non creſcere, nec rurſus aeſtivis contrahi caloribus; diuturnius enim ſi ſudum fuerit ab extimo margine interiora verſus decreſcit, imo ſole ardentius ac pertinacius ſub Sirii ortum illucente, omnino ferme exſiccatur, atque evaneſcentes aquae paludis uliginoſum fundum denudant, copioſa Menianthis, & ulvoſi Graminis, imprimis tomentoſi pullitie veſtitum. Profunditas porro ejus, quo maxima tunc eſſet, tres non niſi pedes aſſequebatur, nulliſque fundum abyſſis barathriſve hiare luculenter cernebatur.

batur. Compererat hoc etiam jam A°. 1585. R. Jo. Mullerus *Plebanus Lucernenſis*, qui ampla ſocietate conſpicuorum Civium ſtipatus huc conſcenderat, ut tum temporis increbeſcentes de illo fabulas, laudabili ſane zelo, everteret. Juſſit ille commilitones non lapides duntaxat, ligna & quidquid obvium eſſet plenis manibus injicere, ſed & ſervum itu & reditu ex omni parte pervadare. Et ut impoſterum portentoſis commentis materia deeſſet author fuit, ut A°. 1594. Magiſtratus Lucernenſis juſſerit Paludem ſuffodere, & ſtagnantibus aquis exitum parare, & nequaquam propterea ut tempeſtatum cauſa amoliretur, nec ob perpetuam nivium, imbrium, nebularumque, ibidem, tanquam in proprio ſtabulantium domicilio colluviem, uti exaggerat Elias Loretus *L. c.* quia autem nimium huic operi loci difficultas obſtabat, inceptum quidem, poſtea vero omiſſum eſt.

Jucundior ſitus contigit altero Pilatino Lacui loco quoque multo magis alto; etenim paulo infra ſummum ejus verticem in Alpe ex latere meridionali, *Matt* Pratum dicta, ſtagnat, undique aprico & herbido ſolo concluſus; ambitus ejus propemodum circularis, diameter 48. Pedes. Aqua ejus clara eſt & limpida, nec uti pleraeque ſtagnantes in vallibus ſolent, fundum offuſcant, qui tamen vix ultra quatuor pedum profunditatem, ubi altiores ſunt, a ſuperficie diſtare deprehenditur,

- - vides hic Stagnum lucentis ad imum
Usque ſolum lymphae; nec illic canna paluſtris,
Non ſteriles ulvae, non acuta cuſpide junci;
Perſpicuus liquor eſt, ſtagni tamen ultima vivo
Ceſpite cinguntur.

Alitur haec Lacuna nivium colliquamento & pluviis, nullo tamen patente rivo, ſed ſolo abſorbtis per fiſſuras & rimas aut inclinata plana rupium huc deductis; paulo infra eam rivulus oritur, verſus ortum aeſtivum ſcopuloſo alveo defluens. Nec piſces, nec aliud quoddam vivens alit, licet armentis huc deductis non inſalubris ſit aqua: dubio procul propterea, quod hyber-

hybernis menſibus loco adeo alto ad imum usque glaciari conſueverit. Caeterum locus hic difficillimi acceſſus eſt, & non niſi unica via maxime ſalebroſa & ardua in eum patet, ex orientali duntaxat plaga; ettenim qua Boream ſpectat altiſſimo rupium cacumine in occaſum excurrente clauditur, reliquum ſpatium immanibus praecipitiis abruptum eſt.

Et hae ſunt paludes, quas Pilatus dorſo geſtat, a fabulatoribus impudente Thraſonismo pro lacubus ebuccinatae: quo nomine dignus duntaxat, qui pedes ejus ex orientali latere lambit *Lucernenſis*, quem alias etiam, *Quatuor Sylveſtrium Civitatum* nominarunt. Laudanda opera ex profeſſo eum deſcripſit jam Anno 1661. D. Jo. Leop. Cysatus, *Inclyto Senatui a Secretis*, ac Topographica Tabula exhibuit, cujus Ectypa in Meriani Helvetia, & in, nomine & ſcommatibus mirabilis Auctoris, *Delices de la Suiſſe p.* 276. cernimus. Ideoque ejus omnem Hiſtoriam retexere haud juvat, ſed pauca ad Naturalem ſpectantia ſaltem memoraſſe.

Occupat Lacus longam, ſinuoſam & plerumque profundam admodum vallem, quam praealti montes, praeruptique per omnem ferme circuitum cingunt: ex Euro-Noti plaga in Circii ferme extenditur non, equidem recta linea ſed huc illuc incurvata. Longitudo ejus eſt 25. Milliarium Italic. Quam proxime, latitudo ubi maxima trium; non longe ab ejus extremitate Circium verſus vallis haec Lacum excipiens ſive ejus alveus utrinque ampliatur, & in duo veluti brachia, extenditur; dextrum verſus Supernatem, $5\frac{1}{2}$. mill. longum, ſiniſtrum vero in Africum 4. mill. long. excurrit, ubi tamen a Pilati jugo *Lopper-Berg*, & vicinis huic oppoſitis montibus *Burgen* & *Rotz-Berg*, antequam iterum explicetur, arctius conſtringitur; aquae quibus expletur circumcirca è montibus confluunt & eam, cum effluxus multo altior ſit ejus imo, explent, alicubi quidem imprimis verſus meridionalem plagam ad 200. imo 300. etiam orgyarum altitudinem, borealem autem 120. aut 130, ſi maxima eſt profunditas. Potiſſimam

aquae

aquae copiam ei adfert ex *S. Gothardi* Montis ſummitate per maxime confragroſos tractus, lapſu potius ruentium quam fluentium undarum

- - - *horrendo crepitantique agmine Ruſa,*

uti Glareanus *in Paneg.* canit; quae oſtio ſuo Lacus initium apud Uranios conſtituit; reliqui tres, *Mutta* videlicet ex Suitenſium ad *Brunnen*, & duo *Aa* dicti ex Subſylvanorum ad *Buchs*, & Superſylvanorum territoriis prope *Alpnacht*, Lacui influentes potius magni rivi, torrentesve quam fluvii, minorem aquae copiam afferunt: plurimam vero ſi collectim ſumpſeris tribuunt rivi circumcirca e montibus, per altiſſimas aliquando cataractas, Aprili, Majo ac Junio, quando nives colliqueſcunt, uberrimè delabentes; collectis hiſce aquis & vallem explentibus Lacus conſtituitur, qui demum, ubi territorii minima altitudo, & effluxui locus patet, iterum in fluvium abſcedit, eo ipſo loco ubi *Lucerna* utrique ripae inaedificata eſt; qui poſtquam priſtinum *Urſae* ſeu *Ruſae* nomen denuo aſſumpſit, & jam, naves patiente alveo, adauctus, primo medius inter colles, deinde per longam planitiem *Arari* junctus in Rhenum illabitur, qui porro ejus aquas Oceano, ceu primae ſuae civitati, imo metropoli, ac communi omnium & emporio & promptuario reddit.

Toto quidem anno aquae Lacus ſatis pellucidae ſunt & clarae, ſed circa aequinoctium vernale & Martio imprimis Menſe limpidiſſimae obſervantur, ita ut eo tempore ad imum fundum uſque, niſi ubi profundiſſimus eſt, viſus penetret; obſervatur autem lapidoſum illum plerumque eſſe & glarea inſtratum, aut ſabulo areniſque: excepta ſaltem ea parte quae effluxui ſuo vicina & propinquior eſt, ubi limoſus; hujus pelluciditatis cauſam arbitramur eſſe, quod adventante verno aëris tepore, nivales groſſiores & congelatae particulae aquis immixtae radios impedientes exſolvantur, & aquae, quae a nive liquefacta primo affluunt, ab ejus ſuperficie fluant, terreisque quisquiliis haud inquinatae ſint; ſed dum Atmoſphaerae calor increſcit, etiam qua parte nives terram contingunt, liqueſcunt;

hinc & terreas particulas ſecum deferunt Lacum inficientes. Imprimis autem ejus ſuperficies tunc temporis tenui quadam ſpuma defoedatur, ut pro potu, alias navigantibus ſolito, etiam a ſiticuloſis averſetur. Lacum tum efflorefcere dicunt, cum in hoc ſtatu eſt: *Der See bluehet*; fortè non adeo impertinenter; nam huic producendo phaenomeno accedit & hoc, quod ſpecie quadam fermentationis, immundities ad fundum, dum aquae frigidiores eſſent, jacentes, veris redeunte tepore, rareſcant, & leviores factae ſurſum trudantur; quemadmodum cum cadaveribus accidit, quae non niſi inteſtina fermentatione tumefacta, ab aquis poſt aliquot dies rejiciuntur, & citius quidem aeſtate quam hyeme. Coeterum effloreſcentiae iſtae, non noſtro duntaxat Lacui ſunt propriae; Tigurinum & Tugienſem Lacus eam quoque pati teſtatur *Itiner. Alpin.* V. p. 375.

Diſtinguenda vero ſunt recrementa iſta ab iis, quae ſub finem Maji & Junii initium non in Lacus ſuperficie tantum hinc illinc poſt ventos & pluvias, ſed etiam ubique, ubi aquae parumper reſtagnant, obſervantur, conſtant illa pulvere flaveſcente, ſemini ſic dicto Lycopodii tum inermibus oculis, tum per Microſcopium inſpecta, perſimili; eſt autem pulvis hic floralis & ſpermaticus Abietis maris tunc temporis florentis, qui à ventis excuſſus undequaque diſpergitur, ſimulque in fructus Foeminae incidens illos foecundat, & ſemina vivificat, qui verò pulvis hic cum in aëre volitat, pluviis abreptus in Terram dejicitur aut Lacum. Fama interim percrebeſcente ſulphure pluiſſe, inprimis cum, quemadmodum Lycopodii ſemen, in flammam exſuafflatus fulguret.

Cum porro motu, non equidem rapido, ſed ſenſibili tamen, perpetuo cieantur Lacus aquae, & ab irruentibus rivis commoveantur & recentes veluti fiant, fluviatilium imo fontanarum inſtar ad potum laudabiles ſunt, etiam media aeſtate ſubfrigidae, nec pondere graviores; quapropter piſces quoque alunt copioſos & varios, optimi ſucci ſaporiſque,

quos

quos ſuo loco recenſebimus. Ex leni illo motu etiam eſt, adjuvante tum montium altitudine, quae gelidis auris obſtat; tum profunditate vallis, in qua Lacus haeret, & quod inferarum aquarum perpetuus tepor ſuperas foveat, quod Bruma non niſi inſolite rigida obgelaſcat; verum è contra frequentiora ſunt ejus augmenta, quae aliquando ad ſeptem pedum altitudinem aſcendiſſe notata ſunt, quale fuit 1345. accidunt potiſſimum ad veris finem & aeſtatis initium, prout nivium copia praegreſſae hyemis fuerit, & ſubitaneis magis caloribus liqueſcant; tum enim per aliquot ſeptimanas in incremento quandoque permanent: quia enim ad effluxum, qui unicus &, non adeo magnam aquae vim Ruſae alveus capit, neceſſe eſt, ut in humilioribus locis, qui circa Lacum ſunt, exundet, donec perennante defluxu denuo labatur, & decreſcat.

CAP. V.

Vegetabilia Pilati.

Feracitatem Montis noſtri magis generalem diligentia forte nimia, cum de ejus Locis Cap. II. ſermo fuit, proſecuti ſumus; nunc vero perpenſis etiam Aëre & Aquis, ſpecialis ejus fertilitas exponenda ſupereſt: Enumeratio videlicet ejus Solo aut Corio, ut ajunt, quod denudatis rupibus undequaque veluti lacerum eſt, innaſcentium Vegetabilium; etenim à multis retro annis etiam celebris ob rariores ſtirpes Pilatus fuit, quemque propterea multi ex illuſtribus Botanicis à Conradi Gesneri aetate adierunt. Primo loco memorandi ſunt Fratres Bauhini, nobile pár Bótanicorum, quorum Opera, *Hiſtoria*, & *Pinaces*, Almageſtum hujus Scientiae pro illorum temporis ratione efficiunt; & quamquam non conſtet, quod Montem ipſum acceſſerint, plures vero uterque Fracti ſeu Pilati ſtirpes commemorat: adde his proximè eorum concivem

Fel. Platerum, qui tamen ipſe, licet nihil de ſtirpibus Pilatinis typis conſignaverit, Montem tamen earum gratia calcaſſe, ex Renw. Cysati *Collectaneis* colligere licet; deinde laudamus Joach. Burserum Medicum Annaebergenſem, cujus Herbarium vivum, plantas non paucas in Pilato à ſe collectas continens, in Bibliotheca Upſalienſi aſſervatur; praecipuè autem á Joa. Jac. Scheuchzero & ejus Fratre Joanne luſtrari meruit, priore ob edita *Itinera Alpina*, iſto ob immortalem *Agroſlographiam*, inter Rei Herbariae Scriptores inſignibus; proximiori vero nobis tempore à Clariſſimo Joan. Gesnero, Helvetiae noſtrae decore. Innumeros caeteros Philobotanicos laudaſſe facilius eſt, quam ex ordine nominaſſe.

Non quidem propoſuimus plenum illarum Catalogum texere, & vulgares omnes frequentiusque obvias, quarum potiſſima pars in reliqua Helvetia etiam reperitur, ſimul exponere; quod quidem Jo. de Muralto in *Paradiſo Helvetiae*: plenius Jo. Ja. Scheuchzerus ſcripto quidem nondum edito, ſed à me quondam perluſtrato: pleniſſime autem ante paucos annos Celeberrimus Hallerus, Opere, de quo ſibi non Patria duntaxat,ſed eruditus Orbis omnis gratuletur,jam egerunt; exhibebo itaque faſciculum ſaltem illarum, quae in excurſionibus in Montem, Julio inprimis & Auguſto menſibus, quorum tempeſtas hujusmodi ambulationibus magis favet, collectae ſunt, & vel non adeo frequentes, imo plurimae inter rariores habentur, utpote maxima ex parte, non niſi in alpeſtribus & editis locis occurrere ſolitas.

Quae enim circa Montis radices ſpontè creſcentes reperiuntur plantae ubiquè ferè etiam ad pedes aliorum, & in proximis pratis creſcunt; attamen illud nequaquam tacendum eſt, mihi viſum eſſe Solum circa Montem, & in propinqua Regione haud tantae varietatis ferax eſſe, nec tam laete & procaciter ſuccreſcere, ſi cum aliquibus aliis quam plurimis Helvetiae locis conferatur, licet mitius etiam coelum in Pilati vicinia vigeat: cui quoque ſolertia incolarum in colendis & educan-

educandis illis, quae ex utilitate ſe commendant, non minus ſe jungit. *Weggenſis*] tractus ad ripam Lacus orientalem ex oppoſito Pilatini Montis in meridiem clivoſus, & aeſtivarium, & hybernaculum dici promeretur, etenim toto anno tum prima tum ſerotina Pomonae, Bacchi, Cereris & Florae munera, fructus, oleraque abunde promit, nec Juglandibus Perſicis, Vitibus, & Caſtaneis tantum ſed & Melonibus, Ficubus, Amygdalis, Limonibus, Aurantiis, imo & Jujubis fidus. Ipſa Pilati ima, ubi in colles & planities ſubſidunt, & qua parte Regio reſerari incipit, in bella paſcua & arva excurrunt multivario fructiferorum etiam fruticum & arborum ſolitarie vel ſepes inter creſcentium genere feracia, imo & Vitium, ſi coli ſolertius haud negligerentur.

Illud quoque & hic annotare haud negligimus, quod etiam omnes, qui de Alpium genio ſcripſerunt, Gesneri, Simleri, Scheuchzeri memorarunt: ſtirpes videlicet alpinas procumbentes, humiliores, ſtrigoſiores ac pumilas, & ejusdem ſpeciei duplo minores, quam quae in Solo mitiori excreſcunt, eſſe: & inſtar nanorum, ſi illis, quae in vallibus proveniunt, comparaveris, habendas; attamen ſi ſaporem, ſi ſuccum, ſi odorem, ſi vires probaveris, longè has praecedunt: imo firmiores, tenaciores, & rigidiores ſunt, ut aſſervatae etiam non tam cito marceſcant, & in Herbariis locatae diutius incorruptae perſtent, nativosque colores in annos conſervent; ſi cauſam requiris, conſidera minus in montibus aëris pondus, & minus validam proinde ſucci nutritii propulſionem: conſidera frigus aëris montani, quod fibras conſtringit, & caloris modicum, quo minus illae laxantur, ut parcius propterea planta nutriatur, difficilius pingueſcat, & ſiccior, ac ſtrictioris compagis evadat. Hinc etiam intenſus magis earum ſapor & acrimonia, quam frequentium item ventorum afflatus augent, cum continuo aqueum illud nimium, quod ſucco earum permiſtum eſt, depopulentur, nec niſi ramoſae & haedricae, aut foraminulis hiantes particulae, oleoſas puto, & utriusque ſpeciei ſalinas intra utriculorum, & fiſtula-

rum cava remaneant: quas porro contra depraedantem aeſtum frigidioris atmoſphaerae perpetuitas egregie defendit, ſimulque injuriarum Aquilonis patientiſſimas reddit.

Ordinem recenſionis etiamnum Tournefortianum retinui, non moratus tot, non minus tamen mihi venerabiles, Botanicos Anabaptiſtas, quo bina illa praecipua requiſita, plantas nempe concinno aliquo ordine collocandi, & ſimul ex charactere quodam praecipuo agnoſcendi & denominandi, quantum non quidem ex accuratiſſima ratione, quae ſaepe nimia videri poteſt, licuit, conjuncta ſint; ſatis enim naevi illius methodi cogniti ſunt, ſed non tanti, ut *Inſtitutiones has* à tot annis cultas, & aſſuetas omnino abjiceremus, quasque facile eſt plenius perficere: cujus rei laudandum exemplum nuperrime dedit Car. Aug. de Bergen, Jorenii *Vade mecum Botanicum*, ſecundis, dicam potius novis curis, edendo. Nominibus Tournefortianis, ubi ſufficiebant, alia ſuperaddere inutile viſum eſt, quam Halleriana, ex ejus accuratiſſima *Enumeratione Stirpium Helvetiae*, & illa, quae Con. Gesnerus in ipſius *Montis deſcriptione dedit*, cujus exemplar, quod ſibi retinuerat, correctiones manu ſua factas continens, allegavi. *

Plan-

* Hoc exemplar cum aliis Gesnerianis editis & ineditis ſibi comparavit *Eminentiſs.* Passioneus tempore ſuae Nuntiaturae, quod Beneficentiſſimus Fautor cum exquiſitiſſima ſua Bibliotheca omni, meis uſibus juxta benigniſſima alia ſummae gratiae officia, quamdiu apud nos morabatur, concesſerat.

Plantarum Claſſes bisdenas noſce duasque.

CLASSIS I.

Simplice dat Petalo Campanae prima Figuram.

BELLADONA? majoribus foliis & floribus *Inſtitutionum Rei Herbariae* TOURNEFORTII, *pagina* 77. Belladona HALLERI *Stirpium Helveticarum Enumeratio*, *pagina* 507.

POLYGONATUM anguſtifolium non ramoſum *Inſtit.* 78. 5. Polygonatum foliis verticillatis H. S. H. 288. Polygonati genus erectum CONRADI GESNERI in *Deſcriptione Montis fracti ſeu Pilati.*

LILIUM Convallium album *Inſt.* 77. 1. Polygonatum bifolium, ſcapo, florigero aphyllo H. S. H. 286.

GENTIANA major lutea *Inſt.* 80. Gentiana floribus rotatis, verticillatis H. S. H. 479. Magnam & veteribus jam cognitam GESNERUS M. F.

GENTIANA major purpurea *Inſt.* 80. 12. Gentiana foliis imis petiolatis ellipticis, floribus campaniformibus verticillatis H. S. H. 478. punicea & amarior GESN. M. F.

GENTIANA Cruciata *Inſt.* 81. 3. Gentiana floribus verticillatis, floris tubuloſi ſegmentis breviſſimis H. S. H. 474.

GENTIANA Aſclepiadis folio *Inſt.* 80. 11. Gentiana foliis ovato-lanceolatis, floribus campanulatis in alis ſeſſilibus H. S. H 478.

GENTIANA Alpina pumila, verna, major, *Inſt.* 80. 8. Gentiana flore unico tubuloſo, foliis ad terram congeſtis, acutis H. S. H. 476.

GENTIANA Alpina pumila Centaurei minoris folio *Inſt.* 81. 5. Gentiana humillima, caule ramoſo, tubo floris longiſſimo H. S. H. 475.

GENTIANA Alpina pumila brevi folio *Inſt.* 81. 7. Gentiana foliis ovatis, caule unifloro H. S. H. 476. Flores aut intenſe coerulei aut dilute purpuraſcentes.

GEN-

Digitized by Google

GENTIANA pratenſis flore lanuginoſo *Inſt.* 81. 2. Gentiana foliis amplexicaulibus floris fauce barbata H. S. H. 473.

GENTIANA utriculis ventricoſis *Inſt.* 81. 6. Gentiana calicis pentagonialis maximis H. S. H. 476.

ERINACEUS ſeu ECHINUS, RAJ. 231. eſt duarum ſpecierum, *Caninus* & *Suillus*. TALPA, RAJ. 236. *alba* non adeo rara apud nos, pelleſque molliſſimi, quod de vi antiepileptica earum cordium adnotat WAGN. 185, non unicum experimentum confirmat: Sudorem aegris, quibus exhibentur, in fronte propellunt; Pulveres autem antiepileptici, quos ſubintrant, citò nimis verminant, & corrumpuntur. Item MUS ARANEUS, R. 239. *Spitzmus*, & demum ex

Digitatis, viviparis, roſtro breviore, anomalis volaticis: VESPERTILIO *vulgaris*; inter

Digitata, ovipara, nuda, non piloſa, occurrit RANA *aquatica* innoxia, cujus foetus caudatus *Gyrinus* RAJ. 249. dictus.

Digitized by Google

dictus. Fromundi de Ranarum pluvia, quam contigiſſe narrat. *L. V. Meteor. C.* vi. *Art.* 4. ad Portas Tornacenſes An. 1625. & aliorum Obſervationibus ſociam adjungimus pauló antiquiorem Leop. Cysati, qui bona fide à ſe ipſo, tum temporis tamen puero, ſpectatam hujusmodi Pluviam, propemodum uti ſubjungimus, deſcribit: *Deſcript. Lac. Lucern.* 113. An. 1610. Aeſtate, circa veſperas, cum extra Urbem noſtram Lucernenſem juxta moenia Avum meum Renwardum deambulantem comitabam, illico Ranis pluere incipit, quae etiam in galerum & circum circa decidebant: in viam delabentes, ſemi mortuae veluti, quae vero in herboſa, acriter ſubſultabant. Erant eae coloris ejusdem ac vulgares, ſed macilentae & minores. Pluvia quidem non multum perduravit, ſed cum ad vicinum ſtagnum ante Portam *Weggis-Thor* dictam pervenit, tanta inibi erat horum Animalium congeries, ut mea vita ſimilem nunquam viderim: dubio procul addit hic copioſius depluerant.

Poſt Dominum Redum de *Generat. Animal.* 208. D. Joa. Rajus in Tractatu non ſatis laudando de *Exiſtentia & Sapientia Dei L.* III. *C.* 15. riſu excipit hiſtoriam & vix non judaeum apellam dicit, talia ſibi perſuadentem, & eadem facilitate vitulos depluere, cum Avicenna ut credat, jubetur. Equidem licet Cysatus noſter autoptam ſe conſtituat, cum tantis Viris fabuloſas Ranarum pluvias, niſi forte Typhone aliquo aut ventorum impetu, de quibus tamen nihil noſter Autor, abreptae & huc delatae ſint, exiſtimamus. Et primo veriſimile eſt, Ranas è ſtagno in vicinum pratum prorepſiſſe, ut circa Veſperas & imminente pluvia ſolent. 2°. Labente imbre utpote guttis verberatae, ſubſultantes ſibi fugam in ſtagnum, ceu intra illorum domicilium turmatim quaeſiviſſe. 3°. Quae in viam extra herbas proceſſerant, ſabulo & pulvere impediti, minus propterea viſae ſunt alacres. 4°. Minores erant, utpote non adultae, & cum tanta copia ſimul cohabitarent, macrae: quia aliae aliis pabulum, tot alendis vix ſufficiens, praeriperent. 5°. Impulſus guttarum imbris, aliquando magnarum, & gravium in galerum, facile decennem puerum à decidentibus

bus Ranis cauſatos, credere potuiſſe; addo demum 6°. quod intra maenia nec unicam Ranam obſervatam idem vel alii meminerint, cum tamen ſubmaeniana à loco pluviae vix 30. paſſibus diſtent.

Rana-Piscis. Aquatile iſtud, ſeu ex Rana & piſce coalitum quodammodo Animal, aliquoties apud nos obſervatum eſt. A°. 1598. Ranam cauda veluti Muſtelae fluviatilis praeditam in Lacu noſtro captam, memorat Renward. Cysatus *M S C. Tom. E.* 174. & ex eo Nepos Leopoldus *l. c.* 112. ſimiliter A°. 1620. prope *Seeburgum* (ſic ab antiquo Munimento & ſpecula, à Lucernatibus tum adhuc Auſtriacis, contra tres recenti foedere junctos Pagos pro defenſione exſtructa, vocatum,) in piſcina Lacui adjacente hujusmodi Ranae magna copia captae, uti & poſtmodum quoque ad ipſius Lacus ripas prope Pagum *Weggis*, ac in undecim Leucis à Lucerna diſtante Monaſterii *St. Urbani* piſcina; caput iis erat & quatuor pedes, anteriusque corpus totum omnino ranarum, poſteriora vero in caudam terminantia Muſtelae, aut Cotti fluviatilis aemulam; vivaces etiam in aëre admodum deprehendebantur, & pelvibus ſervari aqua merſae per aliquot dies potuerunt. Conjungimus hiſce Ranis alios itidem monſtroſos Piſces, qui numeroſi ex eodem ſtagno *St. Urbani* A°. 1599. protracti ſunt. Longitudine aequabant ſpithamam, caput videbatur anterius coalitum, ſed oris loco parvus quidam hiatus, aderant prope cloacam pedes duo itidem ranini, reliqua vero Animalis facies Cotti fluviatilis figuram exhibebat.

Si cum hiſce Obſervationibus confero ea, quae de Ranis Surinamenſibus in America tradit Dominus Lentilius *Ephemer. Germ. Cur. Nat. Cent.* III. & IV. *Obſ.* 171. vix non in eam ſententiam delabor, noſtras has Ranas ſi non ſpeciei ejusdem ſaltem generis fuiſſe cum Surinamenſibus inter Novi Orbis miracula recenſitis; de his fama eſt ſucceſſive ex Ranis Piſces fieri, caudam nempe iis paulatim excreſcere, deinde

deinde anteriores pedes in corpus retrahi, adhuc exſtantibus poſterioribus, qui tandem & ipſi intra corpus abſcedunt, & Ranam ſic miranda metamorphoſi in piſcem transire, conferamus jam has cum illis, & conjecturae noſtrae rationes evolvamus. 1°. Ranae Lucernenſes quadrupedes & caudatae conveniunt cum Rana Surinamenſi omnimode, quam D. LENTILIUS *figura ſub n.* 2. exhibet; & in Liquore conſervatam vidit Amſtelodami apud D. SEBAM Pharmacopaeum, qui ſex hujusmodi Ranas, diſtinctos mutationum gradus exhibentes, totidem vitris concluſas oſtendit: figuram noſtratis exhibet LEOPOLDUS CYSATUS *in Tabella Littera M.* ſed minus feliciter expreſſam, quae vero ſub *L.* Ranam A. 1599. repreſentare deberet, omnino rejicienda eſt, cum Ranam, quam tamen voluit, haud referat & ex RENWARDI *M S C.* concinnatam eſſe appareat, ubi ille artis delineandi omnino imperitus, rudi tractu ideam ſaltem adpingere conatus eſt. 2°. Caudas Muſtelae vel Cotti, quas noſtrae Ranae habuerunt, Ranarum Surinamenſium caudis perſimiles eſſe ex *Lentiliana* figura ſub *n.* 3. deprehenditur. 3°. Ranas noſtras in Piſces transformari ex eo deduci poteſt, quod in eadem Piſcina *St. Urbani* aliquando Ranae quadrupedes & caudatae, alia vice bipedes ſeu potius Piſces raninis pedibus praediti reperti ſint, qui cum Ranis Surinamenſibus, quas *n.* 4. exhibet D. LENTILIUS, conveniunt: ubi anterioribus pedibus intra corpus plane retractis, relicto duntaxat foraminum quorumdam veſtigio, pedes poſteriores, abbreviati quidem adhuc exſtant. Sed hic denuo monemus figuram N. L. CYSATI hujus Ranae bipedis ex eodem Manuſcripto transſumptam, nec deſcriptioni convenire, nec pro mediocriter accurata haberi poſſe: ſunt enim argumenta RENWARDUM ex relatione ſolum eam, ſed peſſime, delineaſſe, nec ab illo Animal viſum. 4°. In bipedibus hisce Ranis noſtratibus Os ferme occluſum erat & coalitum, relicto minori ſaltem hiatu ſeu foramine, figura *Lentiliana n.* 4. Os itidem obliteratum oſtendit. 5°. Capitis figura Muſtelam fluviatilem mentitur, Americana noſtri Cotti: utriuſque Piſcis non adeo diverſum quis non novit?

 6°. Tan-

6°. Tandem Longitudo ambabus & Lucernenſibus & Surimenſibus Ranis, ſeu potius jam proxime Piſcibus, eadem, ſpithamalis nempe, opinionem noſtram confirmare videtur. Dolendum eſt minus curioſe & accurate utraſque inquiſitas, & inſcriptas eſſe, liceret enim rectius aliquid de Aquatili iſto judicare, & ſtatuere: videlicet an Animal ſit ſui generis vel ſpeciei, cujus propago jam apud nos, cum non amplius, quantum reſcire potui, obſervetur, deſierit; in America autem ſub feliciori ſibi coelo ſubſiſtat: an vero ex Miſcela geniturarum progenitum monſtroſis accenſendum ſit.

Jam ad alias Ranas. Rana ſive Rubeta *gibboſa*, *Gras-oder Garten-Froſch. Ranunculus viridis*, *Calamites*, *Dryopetis* Gesn. *Rana Arborea* Rai. 251. *Laubfroſch.*

Bufo, *Rana Rubeta*, *Krott* Bufo *Aquatilis*, *Rana Paluſtris & venenata. Waſſerkrott.*

Lacertus *terreſtris*, *Major*, *fuſcus. Lacertus terreſtris Major ſubviridis. Lacertus terreſtris Minor fuſcus.* Rai. 264. *Lacertus terreſtris Anguiformis* Rai. 264. in ericetis. *Lacertus terreſtris niger. Salamandra* Gesn. & *Salamandra terreſtris* Rai. 273. *Mol, Molch.* inhabitat rimas & fiſſuras noſtri Montis uti etiam altiorum Alpium. Baroſcopium eſt Pecuariis; cum enim diuturnae imminent pluviae, e Latibulis frequentius prorepere ſolent. Lacertus *Aquatius* Gesn. *Salamandra Aquatica* Rai. 273. *Waſſermol.* adeſt fuſcus & nigrior ventre flavo. Papillas hic in dorſo habet plures, quae dum acicula irritantur ſuccum fundunt lacteum, ſuavem Moſchi odorem ſpirantem.

Digitata, *Ovipara*, *teſta tecta.*

Testudo *terreſtris vulgaris* & Testudo *Aquarum dulcium*, & *Lutaria* Rai. 243. non quidem indigenae, ſed ab aliquibus aluntur.

Ser-

Digitized by Google

Serpentes.

Caecilia, *Typhilinus* Graecis, Rai. 289. Wagn. 242. *Blindſchlicher.* Non caecum hunc Serpentem eſſe, ſed oculis abſolutiſſimae ſtructurae, minimis autem, inſtructum monſtravit G. Bidloo *de Oc. & viſ. Animal. p.* 12. Laudant aliqui hujus abſciſſum Caput, ſi ſecum ſyndone involutum perpetuo geſtetur, frequentius recurrentia Eryſipelata arcere. Item pro Sanguine depurando, & tabidos nutriendo vicem Viperinae carnis praeſtare.

Acontias, *Jaculum* R. 290. *Schies-Schlangen.* Serpens qui in modum Jaculi ſemetipſum emittit, & irruit, & ex eo quod facit, nomen habet. Aelianus *L.* vi. *C.* 18. quandoque eum apud nos inventum eſſe, a fide dignis teſtatur. Hiſtoriae, quam de eo Gesnerus, & ex illo Wagnerus *l. c.* referunt, perſimilem ferme nobilis Vir, poſtmodum Conſularis, mihi retulit non cavillandam, ſequentem. Colonus meus, ſic ille, ante annos aliquot, cum in Villa lacui injacenti prope *Meggen* ruſticarer inopinate domum recurrit

> - - - *diu pavidus, pariterque cum voce colorem perdiderat, gelidoque comae terrore rigebant.*

cauſam interrogatus praecipitis fugae, tandem ejus eſſe Serpentem edicit, quem cum in udoſo prato, trunco inſidentem, & in ſpiras contortum ex paſſuum aliquot diſtantia attentius conſideraret, illico in eum nil tale praevidentem ſe ejaculaſſe: faciem quidem caputque intentaſſe Serpentem, ſed capillos duntaxat, bono cum Deo, attigiſſe; felicior in hoc ruſtico illo Gesneri, cui cum ſaccum, quem rejeccrat, recipiendi cauſa rediret, Serpens denuo inſiliit, & brachium, cui ſe involverat putridis ulceribus, quibus tarde poſtea ſanatus fuit, infecit: non quidem morſu, proſpero illius fato, ſed unico attactu: ruſticus enim eum capite prehenſum revulſit,

Digitized by Google

vulſit, & abjecit; „caeterum morſum ejus inſanabilem eſſe ſcribunt DIODORUS, STRABO, & inprimis AVICENNA:“ accidit ex morſu ejus dolor vehemens, & ulcus calidum toto corpore, atque ex eo Mors quanta porro pernicitate involet, miſſilis inſtar volare tormenti ait PLINIUS, & ex arboribus vi maxima turbinatum, penetrare Animal quodcunque obvium fortuna fecerit, ſcribit SOLINUS; ſequentia quoque de praecipiti ejus & vehementi jactu LUCANUS *L.* IX. *v.* 822.

Ecce! procul ſaevus ſterilis ſe robore trunci
torſit & immiſit (jaculum vocat Africa) Serpens:
perque caput Pauli, tranſactaque tempora fugit.
nil ibi virus agit, rapuit cum vulnere fatum:
deprenſum eſt quae funda rotat, quam lenta volaret,
quam ſegnis Scythicae ſtrideret arundinis aër.

SERPENS *vulgaris*, *Coluber* W. 241. *Schlangen.* Lactis hos avidos eſſe cum alpicolis noſtri quoque Agricolae teſtantur: nec duntaxat ipſarum paſcentium Vaccarum cruribus circumvolvere, & ex uberibus ad ſanguinem uſque Lac exſugere, ſed etiam in Cellas lactareas penetrare, & ſe Lacte ſaturare conſueverunt. Mirum! ſi inter Aeves cortales Gallus albi coloris alitur, hos Lactis praedones, neſcio quam longe abigi.

NATRIX, *Natrix torquata* R. 334. W. 241. notabile eſt in harum Exuviis tunicam oculorum corneam adhuc inhaerere, & quidem nitidiſſimae pelluciditatis. Aquas ingrediuntur, & tranare ſolent Natrices, atque per longum quemvis Lacus tractum

- - - *oppoſita ad Littora tendunt,*
pectora quorum inter fluctus arrecta - -

imo & infra aquas aëre pulmonum loculis ad vitalis flammae pabulum recondito, natare aſſueta eſt, tumque merito vocabitur

HYDRUS, *Waſſerſchlangen.* vix enim diverſum eſſe Serpentem ex eo deducitur, quod eadem ſit Natrici & Hydro natura, & ſi quae varietas, in colore ſolum conſiſtit, cujus ipſius

ipſius aquae qualitas inprimis calidae & thermalis, quam prae caeteris amant, vel Anni tempus, aut aetas demum ipſius Animalis cauſa eſſe poteſt. Hydrum item ſemper aquas incolere nullibi legitur, ſed in ſicco etiam degere: ex quo eſt ut Antiqui Hydrum extra aquam *Cherſydrum* dixerint, de quo videatur BOCHARTUS *Hierozoic. L.* III. *c.* 13. 422. Veneno Natrix omni apud nos haud caret, inprimis quae in aridis locis verſatur, intra aquam autem &, „ in humidis „ locis, ex humido victu ſatiatus non purum venenum ha„ bet" ut AETIUS *Tetrabib.* IV. *Serm.* 1. *c.* 35. ſcribit. Caeterum, praeterquam, quod modo piſcibus & ranis ac muribus variis victitet, uti & Coluber & Vipera, e cujus diſſecto ventriculo tres adultos mures ipſe exemit RAJUS; lacti etiam avide inhiat, quod non ſolum in vaſa jam repoſitum ſectatur, ſed ex ipſis quoque Vaccis, quemadmodum & de Serpente diximus, imo Sanguinem ipſum avidiſſime fugit.

Eſt hoc Natrici cum reliquis ferme omnibus Serpentibus commune, ut inediam diutiſſime ferat, quia ob connatam frigiditatem, tardum videlicet tam inteſtinum, quam progreſſivum, Sanguinis motum, parum tranſpiret, & ſi ipſum Animal velit, parum quoque per halitum emittat: neceſſario enim in vitae ſubſidium Aëre, ut jam notavimus, pulmonum cellulas, veluti Amphibia, Teſtudines, Ranae, Bufones, ſolent, replet, non niſi ad voluntatem exprimendum. Sed quantumlicet abſtemii eſſe poſſint hujuſmodi Serpentes, tantundem etiam ſunt voraces, ſi ſe pabulum copioſius, & expetitum obtulerit: hoc illi avide inglutiunt, & propere digèrunt, ac ſi iis libuerit e brevibus ſuis inteſtinis exprimunt, licet mole multo latior ſit praeda ipſo rictu & collo: quod in eadem quoque Vipera notavit Laudatus, quae tres Mures inſuxerat, cum tamen collum vix minimum digitum ambitu aequaret: quod & nos in Natrice prope Pilatum obſervavimus, in qua tres adultas & praegrandes Salamandras Alpinas reperimus, quae corporis latitudine caput Natricis vel ter etiam ſuperabant. Hinc ſi ſimul perpendimus diuturnam aetatem, & tenaciſſimam vitam, quam huic Animalium generi indulſit natura, facile quivis perſpiciet in magnam molem excreſcere hos Serpentes

poſſe, imprimis ſi pabuli copia abundet, maxime aptioris; unde apud Graecos Adagium fuit: *Serpens niſi Serpentem comederit, Draco non fiet.* Sed quae de enormi quorumdam magnitudine apud aliquos legimus, aperte fabulam produnt; etenim major nuſpiam eſt mentiendi licentia, quam cum de Serpentibus & de Draconibus agitur: Graecos quidem caeteroquin mendaciis infames, Arabibus longe modeſtiores eſſe, notat Bochart *l. c.* quorum unus apud *Damirem* aſſerit ſe vidiſſe Draconem longum fere duabus paraſangis, id eſt paſſuum octo millibus, fidem autem potius meretur, quem vidit Alexander *in India* LX. & de quo Diodorus *L.* III. *c.* 3. XXX. cubitorum, quam magnitudinem maximam eſſe ſtatuunt Bochart, & Cyprianus *Hiſt. Anim.* p. 3403.

Porro non adeo abſurdum eſt arguere ſobolem quoque Parentum ſtaturae convenientem progignere grandiores ejusmodi Serpentes. Huc itaque dubio procul ſpectant relictae tot ab Antenatibus Hiſtoriae, quibus Regio noſtra adhuc tum minus culta, & inprimis Pilatus tanquam teterrimorum horum Animalium veluti latibulum & ſpelunca, non mathemathica hyperbole deſcripta fuit, & quae altera quaſi

- - *Qua ſe campis ſqualentibus Africa tendit*
Serpentum largo coquitur faecunda veneno.

Majores hoſce Serpentes ſive Natrices, cum terreſtres eſſent, ſive Hydros, cum aquaticae, *Boas* vocavere antiqui, noſtri etiamnum *Lind-Wurm* dicunt, melius vero & juxta Etymologiam magis appoſite *Rind-Wurm* dicerentur; *Rind* enim juvenculum Animal vaccini generis indigitat, quibus maxime hic Serpens inſidiatur. Eſt igitur, ut quae diximus argumentis confirmemus, juxta Zoologorum mentem, Boa Serpens, qui in miram magnitudinem excrevit; junior adhuc vaccas caprasque exſugit, grandior factus carnibus inhiat, ipſa armenta aggreditur immo & homines. Uberiori autem alimento adeo grandeſcit, ut ejus rapinis Regio omnis devaſte-

tur,

Digitized by Google

tur, & à populo deſeri cogatur. Sed non ex antris cavernisque, udis & umbroſis locis, prorepens in campos ſe duntaxat committit Boa, aquas etiam ingreditur, praedas ſibi venatura, ita ut utrobique peſtis iſta ſaeviat; imo aëreae Aves ab eo tutae non ſunt. " Si aucupio egent, PHILEAS apud BOCHARTUM *l. c.* hiantes in aërem anhelant, & Avium ſuſpenſos „ greges calidae aſpirationis illecebra demulctas, & ex alto ad „ terram frequentes attractas ex maxillis in ventrem trahunt „ quod idem & TERTULLIANUS *de Coron. Milit. C.* 10. confirmat. *Boam* expreſſe nominat PLINIUS *L.* VIII. *c.* 14. Serpentem illum " cujus *Divo Claudio* Principe occiſi in Vaticano ſolidus in „ alvo ſpectatus infans. „ *Boa* quoque vocatur à DIVO HIERONYMO Anguis, quem St. HILARIUS in Epidauro, Armenta, Pecora, Incolasque colonos & paſtores attrahentem & inglutientem, extirpavit, uti & ille quem non procul à Campoduno DIV. MAGNUS enecavit. Nec multum diverſum eſſe à Bois iſtis, *Bubulinum* itidem dictum, maximum illum Serpentem *Anacandia Zeylonenſibus Boiguaca Braſilianis*, & *Cobra de Veado*, quod integras Dorcades devoret, *Luſitanis* dictum, ex relationibus D. CLEYERI conſtat qui Cervos, ſylveſtres magnis cornibus praeditos Capros, aculeatos item Hyſtrices, homines, imo Mulieres ipſas praegnantes, & Urobubulos integros omnisque generis Animantia alia inſugit. Circa arreptas praedas ſe validiſſime contorquet Serpens, uſque dum oſſa devorandi Animalis, repetitis compreſſionibus minutatim fuerint confracta, ita ut ſtrepitus oſſium, quae ita rumpuntur, in longin quo exaudiatur; tum viſcido ſputo flaccidum cadaver illinit, & laevigat, ac tandem prehenſo in rictum capite tamdiu & tam valide ſugit, uſque dum totum abſorbuerit. Inſigniter à majoribus hujusmodi bucceis turgeſcit devorator, ita ut ad motum omnino ferme ineptus à Ruriculis facile poſtea juguletur. An *Divi*, HILARIUS, MAGNUS, ISIDORUS, aliique Legendis celebrati illas tantum Boas ſic praeda infarctas & impotentes agreſſi ſint, necquidem ſuſpicamur: Apoſtolici etenim hi Viri crediderunt in Eum, quem ſigna promiſſa ſequerentur, & in cujus nomine Daemonia ejicerent, linguis loque-

loquerentur novis, Serpentes tollerent &c. ut Marci XVI. 17. 18. legimus, nec etiam praeter preces ad Deum alia adhibuiſſe remedia credere licet, quale prae caeteris erat & illud, quod Danielis XIV. deſcribitur " tulit Daniel picem, & adi-
„ pem, & pilos, & coxit pariter, fecitque Maſſas, & dedit in
„ os Draconis, & diſruptus eſt. Quapropter merito factum
„ exiſtimo, ait Franciscus Vallesius *de Sacra Philoſophia. C.*
„ XVIII. 470. ut boli ex hac maſſa dati haeſerint firmiter an-
„ guſtiſſimae ventris viae, eaque penitus obturata nulloque exitu
„ dato, diſrumperetur Draco. *In Biographia Regum Poloniae* ex-
„ ſtat etiam Regis Craconis Hiſtoria de immani Dracone, cui
„ offerri juſſit loco trium jumentorum, quae quotidianum ejus
„ pabulum erant, vituli pellem pice, ſulphure, & nitro reple-
„ tam, qua pilula inglutita calore accenſa interno, tam fervidam
„ excitaſſe ſitim, ut poſt hauſtam ex Viſtula immodice aquam,
„ Beſtia diſrupta alvo, extincta ſit. V. Rzaczynski *Hiſt. nat. Pol.*
„ 246. ſed ad Boas noſtras Pilatinas, quas ordine chronologico
„ recenſeamus.

Antequam verò magnos hoſce Serpentes adgrediamur monendum eſt, eos nos à Draconibus ſeparare, & horum ſub nomine nonniſi pedatos, alatosque Calubros cum Poetis & ipſo Vulgo intelligere,

- - - - volucri qui pervia nubila tractu
ſignant. Claud. *Rapt. Proſ. L.* I.

& quos alloquitur Lucanus *L. 9.*

Peſtiferos ardens facit Africa: ducitis altum
Aëra cum pennis, Armentaque tota ſecuti
Rumpitis ingentes amplexi verbere Tauros
Nec tutus ſpatio eſt Elephas, datis omnia letho.

Non quidem ignoramus ſub homonymo *Draconis* nomine Serpentes Hydrosque annoſos, qui multa aetate & magno pabulo in inſolitam magnitudinem excreverunt, terribiles deſertorum incolas proprie comprehendi, hoſque eſſe illos Dracones, quorum

rum apud Antiquos mentio fit, ex quibus nullus ei pedes tribuit. Divus Augustinus *L.* III. *de Geneſ. c.* 19. ait: ſine pedibus de ſpeluncis prodire; eſt enim Draco Serpens, quem in ventrem juſſit ſerpere Deus. *Geneſ.* 3. 14. ſed quis noſtrum Draconis nomine vix audito, pedatam, alatam, horribilemque Beſtiam, non ſibi animo praefigurat? ideoque ne plus dicere videamur, quam intendimus, aut dicamus, quam ſana mente nobis credere fas ſit, Serpentum Boarumve nomen retinentes in eorum cenſum etiam locabimus Colubros illos, de quibus pedatine, alatique exſtiterint, vel non conſtat, vel merito dubitamus.

Chronicon praegrandium Serpentum ſeu Boarum, & Hydrorum Pilati ejusque viciniae.

Incerti Anni Boa, haud procul à Pilato: vix enim leuca una & dimidia diſtat Mons *Muttſchwanden*, non *Rotberg*, uti Wagnerus, in antro, quod hodiedum monſtrant, ſtabulabat, qui primus inter majores Serpentes, de quo teſtimonium habemus, in *Chronico* Petermanni Etterlin Lucernenſis, quod L. Cysatus *Deſcriptioni Lacus p.* 168. Wagnerus *Hiſt. Nat. Helv.* 245. & *celeberrimus* Scheuchzerus *Itinerario Alpino* V. 389. inſeruerunt. Paucis ab Etterlino deſcribitur, haec tantum "ab ipſo ſtatim „ initio cum Subſylvania primum purgari, & excoli cepiſſet, „ foedus in ea Vermis, & terribilis Draco repertus eſt ſupra Vi- „ culam *Wiblae*, qui homines pecusque exinde fugabat, ut Vi- „ culus *Oedenwiler*, deſertam ſignificans villam, diceretur. „

Enarrat poſtea modum, quo ab indigena, nuperrime proſcripto, nomine Winkelried, ut in gratiam rediret, occiſus eſt: lanceam enim faſciculo ſpinarum armaverat, quam cum hianti Serpentis rictui intruſiſſet, enſe necem abſolvit: cum vero prae gaudio ovans, gladium attolleret, exitioſi ſanguinis gutta in manum depluit, qua mox gelato in venis cruore, & toxico infectis ſpiritibus, enecatum eſſe narratur; teſtantur autem Antiqui veneno imprimis acri carere haec Animalia, de quo videatur Aëtius, Isidorus & Plinius *L.* XVIII. *c.* 4. qui expreſſe ait venenum ea non habere. Sunt tamen, ſed inter Poëtas potiſſimum, qui ſanguine Draconum illita tela pro certa vulneratorum morte memorant. Prudentius *Hamartigenes v.* 431.

Digitized by Google

Ecce! Jebuſiacae fervent ad praelia turmae
Aurea tela quibus, de ſanguine tincta Draconis
Mortifero ſplendore micant.

Heroi huic Dracocidae poëtico ſane oeſtro acclamat Epinicio Jo. Barzaeus noſter, cum altero ſimul homonymo heroe *L.* III. *Ep.* 4.

Quis Winkelredos *non tollat ad Aethera? quorum*
Alter ut hoſtili portaret ab agmine palmam
Robore inaudito, nimiumque audacibus ulnis
Una aciei omnes, in ſe unum attraxerat haſtas
Alter ubi immanem patriis in ſaltibus Hydrum
Audiit, horribiles quamquam ipſe attollerat iras
Peſtifero ſtygium diffundens ore venenum,
Mittit in arma manus, vocat in certamina Monſtrum
Sibilaque, flammasque acres ſulphurque vomentem,
Montique aequalem necat auſu ingente Draconem.

Viden' quantum Poëtae liceat? Mons illi eſt Serpens, flammas, Sulphur & Mephitim evomens, unum ex Puteolanis aliquem Phlegraeum diceres, aut ipſum Veſuvium; ſed nec feriatus eſt pictor in horrendificando Monſtro, quatuor illi pedes, & repandas membranaceas alas addidit; tale exhibetur ab Elia Loreto apud Kircherum *L.* c. 117. cujus prototypon ex picturis Pontis noſtri Lacum, inter & Ruſam ſtrati, deſumpſit. Sed nihil antiquius, utinam non etiam rerum naturalium hiſtoricis, quam

- - - - Pictoribus atque Poëtis
Quidlibet audendi ſemper fuit aequa poteſtas.

1468. Boa ingens, *Ein groſſer Lindwurm*, in magno aquarum incremento, infra Pontem majorem Lucernae ex Lacu ſecundo fluvio in Ruſam natare viſa. Renw. Cysatus *in Collect.* qui tamen eandem eſſe, innuere videtur, cum ſequente, ſed Chronologos erraſſe.

Digitized by Google

1499. 26. *Maji.* Magnus & imanis Draco, ſubter praenominatum pontem ex Lacu in Rufam deſcendit, quam craſſus fuerit, quamque longus, ob rapidum ejus in imis aquis natatum à nemine ſatis obſervatum eſt. Sic L. Cysatus ex Etterlino & Schillingio noſtratibus. Hydrum fuiſſe nullus dubito, verum hoc non condonandum iis, qui prodigioſis ſolum verisne vel falſis delectantur, Serpenti huic aures addidere, & vituli craſſitie, & octo cubitos longum enunciarunt: vide laudati Scheuchzeri *Iter. Alp.* V. 389.

1546. In Sylva, quae ad Lacum inter *Hergiswilam* & *Winkel* ad pedem Montis noſtri ſita eſt, ingens in ſe convolutus Serpens viſus R. Cys. *l. c.*

1564. Vermis ingens magnitudine tigni prope *Sylvam Dei,* qui quandoque ad Pagum *Krientz* & proximam vallem deſcendere animadverſus.

1566 *Julio* Menſe, quo tempore Ruſa aquis plurimum aucta erat, Boa praegrandis tigni, quo foenum plauſtro injectum conſtringitur, craſſitie ſupra *Brengartam*, *Primam Guardiam* Romanorum, vitulos, cum ex aquis proreperet, aggredi & devorare, nunciatum eſt. Civis illius loci Jacobus Hubler, cum in lintre Salmones ſectaretur, remo bicuſpide Animal, piſcem ſibi opportunum ratus, percuſſit; Hydrus verbere irritatus caput ex aquis exertum, in hominem dirigit, qui in terram illico exiliens domum recurrit, adeo territus, ut lecto ſe committeret, & tandem ad quadrageſimum morbi ad plures receſſerit; noſtris hunc Hydrum in tantum accenſemus, quia vix non ex noſtro Lacu per Ruſam illuc deſcendit.

1586. Non procul à *Sylva Dei* alius Coluber viſus, qui in ſpiras retortus majoris rotae ambitum aequabat R. C. *l. c.*

1599. Serpens magnus ſeu Draco ad Lacum *Rootſee* animadverſus. Ab illo ad noſtra uſque tempora de hujusmodi praegrandibus Serpentibus, quod notatu dignum fuiſſet, nihil mihi ulterius ſe obtulit, & in noſtris demum Regionibus, in-

Digitized by Google

colarum frequentia magis excultis, reperiri amplius, necque ſaltem dari credibile eſt: etiamnum tamen alicubi exiſtere ex publicis Novellis argumentum habuimus: attulerunt etenim ſub titulo *Vienna* 4. *Auguſti* 1750. hominem, optimum alias natatorem, non longe à *Lyncio* in *Danubio* ſe lavantem ab hujusmodi Hydro abreptum, praegrandi, & cujus craſſities etiam obeſi hominis brachium aequaret. Viſae ſunt circa cordis regionem reperti cadaveris frequentes punčturae, etiamque caro illic aliquouſque arroſa. Hydrus ſolicite quidem quaeſitus, captum autem fuiſſe, nunquam nunciatum eſt. Jam adgrediamur Dracones.

DRACO *Pedatus, non alatus. Doctiſſ.* P. ATHAN. KIRCHER. *Mund. Sub L.* VIII. *S.* IV. *c.* 2. *p.* 98. *Draconem quadrupedem* celebrat ex literis cujusdam nobilis Viri CHRISTOPHORI SCHORERI *Praefecti territorii Solodurani*, A°. 1654. circa Divi Jacobi feſtum in loco *Flue* dicto, juxta ingentem ſpeluncam viſum. Erat ei, ſic PAULUS quidam SCHUMPERLIN retulit SCHORERO Caput ſerpentinum, collum & cauda longitudinis aequalis, pedibus à terra pedem unum, & amplius, erectis gradiebatur: toto corpore ſquammatus, nec non variis maculis griſeis, albis, fulviſque conſperſus. Caput habebat Equi haud abſimile qui mox ac eum conſpexit, magno ſquammarum ſtrictu intra ſpecum ſe recepit. Hiſce jungebat idem SCHIMPERLIN in Monte alio huic vicino, vulgo *Staffelwand* dicto, intra abditum quoddam antrum Sceleton Draconis A°. 1602. inventum fuiſſe, qui ruina Montis, ex terrae motu ſuccuſſi, oppreſſus fuerit. Ex KIRCHERO haec ipſa tranſtulerunt P. SCHOTTUS *in Phyſicam curioſam Append.* C. IV. WAGNERUS in Librum ſaepius citatum, & demum *Cel.* DR. SCHEUCHZERUS *Itin. Alpin.* V. *p.* 388.

Aſt vero non pauca occurrunt, quae hiſtoriam dubiam reddunt. Illud quidem nos non morabitur, *Solodorum* ejusque vicinum magis Lucernae territorium ad minimum 12. leucis diſtare, ſed quod rem magis dubiam reddit de *Schorerorum* familia *Solo-*

Digitized by Google

Solodori unquam exſtante nihil licuit reſcire, nec in Catalogo Patriarum Familiarum diligentiſſimi chronologi Hafneri *P.* II. 92. conſignatam, nec quemquam *Schorerum* inter Praefectos recenſitum reperire fuit: hinc quoque eſt, quod Scheuchzerus cum adverteret Solodoranum de Pilatinis Draconibus relationem ſcribere, vix veritati conſentaneum eſſe *l. c.* Praefectum Lucernenſem ſcribere debuiſſe Kircherum animadvertit; ſed Catalogum quoque Familiarum noſtratium ac Praefectorum ſuſque-deque evolvens, nec unicum *Schorerum* notavi, cum tamen ab A°. 1619 etiamnum A°. 1654. vixiſſe debuerit, ut ex eodem Kirchero deducitur. Mirum porro videtur, quomodo Leop. Cysati diligentiam, cujus liber ipſo adhuc vivente editus eſt A°. 1661, Schumperlini Draco, ſeptem annis anterior, auffugerit: maximè ex eo, quod locus *Flue*, ut adparet, in *Regio Monte* ſitus fuerit, proprium adjectivum Schorerus generale addere debuiſſet; dixi in *Regio Monte*, ad cujus pedem villam poſſidebat Cysatus, *Luzelan* Balneo celebrem, in quam ſaepius ad ruſticandum migrare conſueverat, praeter haec Schumperlinus Serpentis caput Draconi impoſuit, mox immemor caput Equi habuiſſe, ait: ſerpentino in *Itiner. Alpin.* comparet, potuiſſet & equino. Tandem totius Hiſtoriae veritas fictitii forte nominis Schumperlino incumbit, vel timido, cui Lacerta pro Dracone, quemadmodum illi ruſtico apud Valvasor, *Ehre des Hertzogtums Crain p.* 396. vel etiam jocoſo, aut jactabundo & vaniloquo, cui forte & illud Ovidii quadrabat:

Nequitiam vinoſa tuam convivia narrant.

Haec duntaxat ex eo animadverſa ſint, ut eluceſcat a magnis ſaepe Viris praecipiti credulitate circumventis aliqua prodi, quae non dubia tantum, ſed praeter veritatem eſſe, deprehenduntur; inprimis autem magniloquentiam neceſſariam putant, cum de Draconibus dicendum. Saepe etiam de credulitate literatorum Virorum jocari Scioli aliqui audent,

cum ficta vel fabuloſa illis obtrudunt. Schorerus itaque Andreæ Mullero *Reiffenbagenſi* ſociandus, qui Kirchero fabulam cecinerunt.

Dracones *alati*, *Angues ingentes alites, L. de Nat. Deorum* Cicero nominat. Primi ex his ſint nobis duo illi, de quibus Leopold *l. c.* Cysatus *p.* 174 & ex eo Kircherus *l. c.* 100. ex iſto Schottus *L. C. p.* 1161. & *Cel.* Scheuchzerus *l. c.* 386. oratoriis floſculis, quibus illic eorum hiſtoria ornatur, ſepoſitis, ſummam in ſequentia conſtringimus. Vietor Lucernenſis virgas, ex quibus ſibi circulos pro doliis pararet, Autumno in Pilatum, alii non Pilatum ſed in Regium Montem dicunt, aſcendens, improviſo lapſu in profundam cavernam decidit; a terrore recollectus, ecce! inter duos ſe Dracones videt: miraturque intactum ſe non horas ſed noctes & dies cum ipſis captivum degere, fame tandem preſſus circumſpicit, quo illi nutrirentur: cumque obſervaret ſaxum quoddam intra caveam eos lambere, idem & ipſe agere incepit, hocque ſolo vitam in adventantis veris reditum ſuſtentavit: tunc autem unus Draconum, hyberni habitaculi pertaeſus, remigio alarum ſe ſuſtollens, e caverna avolavit, alter autem hominem veluti muta voce blandiens circumibat, atque innueret, abeundi tempus adveniſſe: qui ſe quoque, ut avolaret, accingebat, ſed ejus, cum verſum oſtium eniteretur, Vietor caudam, quam libens praebebat bellua, prehendit, ſicque amiciſſimo officio extractus, & ſemeſtri carceris toxicato ſquallore liberatus,

- - - - ſicut Dite viſo
Pallidus foſſor redit:

ad ſuos reverſus dicitur. Kircherus ob ventriculi dyſpepſiam poſt duos menſes, Cysatus autem poſt anni dimidium, eum obiiſſe ſcribunt, in rei memoriam & teſtimonium Caſulam Eccleſiae ad *Leodigarium* legaſſe Vietorem traditur, quae hiſtoriam acu pictam praeſentaret. Conqueritur autem

Digitized by Google

autem mox laudatus annum, quo haec contigerint, non conſtare, alii, ait, putant ante 100., alii ante plures. R. Cysatus habet 1410. Scheuchzerus 1420. dolet & de eo, quod Vietoris nomen nullibi occurrat.

Non immerito ſane dolendum; ſi etenim perſona, tempus & locus ignorantur, cum, & in quibus res aliqua contigit, fides hiſtoriae, paene omnis collabeſcit; & primo quidem, quod perſonam concernit, Vietorem fuiſſe, tradit hiſtoria, in Pilatum, vel Regium excurrentem, cum tamen in propinquioribus magis locis ejuſmodi ligna, quae quaereret, hodiedum facile reperiantur; per ſemeſtre autem Patriâ abſens, cum Draconibus vixiſſe, ipſe redux ſolus edixit: potuerant illi eſſe rationes, ut aliorſum ſe conferret, quas ut tegeret, talia commenta, tunc temporis paulo magis vendibilia, obtrudere potuit. Secundo vitam lingendo petras per omne illud tempus ſuſtentaſſe, quis credat? quantumcunque Terraqueus & eſt cognitus Orbis, nulla rupes homini tam ſuccidum alimentum exſudans, hucuſque innotuit, quae juxta aqueas, ſalinas pingueſque & oleoſas particulas tam blande & apprime combinatas, hasque non modicas e ſubſtantia ſua praebeat: quibus ſaltem omne illud, quo corpus noſtrum nutritur, pollere debet. Rupicapras quidem ſaxa quaedam lambere conſtat, ſed hoc ſolo neutiquam nutriuntur, necque dicas, ſalem quemdam ex illis eas lingere, quem tamen intra ſuam ſubſtantiam nullum ſenſibilem recondere ſeduli venatores deprehenderunt; arena eſt, quam appetunt, quae forſan Rupicapris ſalis, à ruminantibus domeſticis, ob probæ digeſtionis ſtimulum, adeo expetiti, & praeberi ſoliti, propter ſcabritiem ſuam, vices praeſtat; & quia arenaria ſaxa rarius in ſummis Alpibus obvia ſunt, fit, ut ubi illa occurrunt, Rupicaprae ad ea congregentur, ut ſaepe a lambitantibus ſaxum aliquatenus excavatum obſervetur. Sed ſit etiam, ſalis aliquid petroſi ſaxo ineſſe, ſit etiam quod nitrum aëreum, cujus tamen altiorem Atmosphaeram modicum ſuſtinere credimus, ceu ad amicum polum ſali illi ſe jungat,

jungat, tamen quale illud quantumque fuerit, homini tanto tempore ſuſtentando neutiquam ſufficiet. Nec demum illud quidquam hiſtoriam firmat, Vietorem non longo tempore, de quo tamen ſibi non conſtant Scriptores, poſt ejus reditum mortuum eſſe: hoc cuiquam accidere poterit, poſtero etiam die, quo ex medio Tibure advenerit; addimus jam tertio quam pacifici & innocui eſſe debuerint

Horrida ſquammoſi volventes membra Dracones.

cum nec venenatam igneamve mephitim exhalarent; quemadmodum tamen de caeteris narratur, nec ſaliva & ſanies eorum, rupi adhaerens, quam dubio procul non ſemel etiam lingendo attigit Vietor, deleteria fuerit, imo quam benefici ipſi, cum hominem, aptiſſimum hybernae fami remedium, contubernalem tolerarent, imo cauda intortum in liberam auram extraxerint: ſed & plura alia hujuſmodi commenta eventilare taedet.

Illud demum quarto, quod veſtem ſacerdotalem concernit, nihil minus in ea ſpectatur, quam hiſtoriae hujus imago; conſtat enim columna per mediam Caſulam deſcendente ex violaceo Serico texto raſo & denſo: *Hormuſinum* Latini vocant, propterea cum *Ormuſio* Perſiae Emporio quondam veniret, & nobis *Attlis*, Gallis & Anglis *Satin*, Perſis vero *Parnian*, Turcis *Ule*, nominatur; eſt vero illud non ordinarium, ſed tenuiſſimorum filorum, ita ut haud Europaeum eſſe, facile agnoſcatur; jam olim ſiquidem, ut hodieque Sericum mollius praeexpetitum fuit, etſi tenuius, minuſque durabile. vide HIERON. WELSCH. *Addenda ad Hecatoſt.* 1. *Obſ.* 62. huic texto acu appictae ſunt Draconum figurae, fictitiae & peregrino modo adornatae, ea ipſa forma, ac Sinarum Imperatoribus pro Inſigniis ſunt, quaeque in veſtibus geſtare ſolent, ac ſanguine conjunctis duntaxat hujus-

Digitized by Google

hujusmodi conceduntur. *Sinarum* dixi, nam ex eo patriam Serici noſtri Sinam eſſe cognovimus, quia Japonum Dracones ejuſmodi chimaerici *Dſya* illis dicti, tres tantum ungulatos digitos habent, Sinarum vero quatuor, quales ſunt Draconibus Caſulae noſtrae. Vide *Hiſtory of Japan. l.* I. *c.* 10. *p.* 124. Cum porro fruſtum Hormuſini noſtri non longum ſatis eſſet ad columnam Caſulae conſtituendam, aliud ejus fruſtum illi fuit aſſutum, ut jam non Draconem quadrupedem, ſed ſex donatum pedibus efformet. Caſulam ipſam figura repreſentare opportunum duxi (*Tab. VI. Fig.* 1.) A quo textum iſtud Sinenſe Eccleſiae noſtrae illatum fuerit, ignoratur: ultra autem 300. Annos adeſſe, conjicimus. De Victoris autem caſu exſtantia documenta nec in eccleſiaſticis, nec in civilibus Archivis reperire licuit, nec unquam fuiſſe, crediderim.

Animadvertimus porro Caſulae Dracones, haud quaquam alas habere, ac a pluribus negari alatos reperiri uſpiam. vid. AUGUST. *in Soliloq. L.* II. *C.* 15. miraturque etiam BOCHARTUS *L. c.* eccur apud vulgus invaluerit opinio, Dracones eſſe alatos, niſi ad Mythologos & Poëtas ea referatur: ſed à Myſtico Dracone ad naturalem non valere argumentum pronunciat. Criſtas item alitibus gallinacei generis inprimis proprias, negat quoque habere Dracones PLINIUS *L.* XI. *c.* 37.

DRACO *alatus Lithogonos.* Jam ad alium fama celeberrimum itidem Draconem nos conferamus, qui non ſterili, nudaque hiſtoria quondam apud nos viſus celebratur, ſed ipſas de ſe reliquias, in ſui teſtimonium non aſpernendas, reliquit: Lapidem videlicet figura & virtutibus medicis ſingularem.

Digitized by Google

Hiſtoriam ex Actis publicis à R. Cysato *Tom. D. p.* 4. *& ſeq.* deſcriptis, & à Leopoldo Libro ſaepius citato *p.* 177. vulgari idiomate impreſſis, quaeque *Doctiſſ.* Scheuchzerus *L. c.* Latio donavit; de quo etiam *Doctiſſ.* Langius noſter *de Lapidibus figuratis P.* II. *L.* I. C. V. *p.* 42. fideliter in ea, quae ſequuntur colligimus.

Obpignoraverat pro innominata pecuniae ſumma Martino Schribero *Chirurgo Lucernenſi* Lapidem Rudolphus Stempflin, ruſticus *Rotenburganus*: quem uti ante 30 jam annos audiverat, à majoribus ſuis ſemper poſſeſſum, & ab Avo ſuo prope *Montem Regium* tunc temporis fenum colligentem, repertum, quem Draco ex *Regio* in *Fractum*, & prope eum evolans, ita ut ex terrore Avo animus defecerit, in terram dejecerat: nam poſtquam ad ſe rediiſſet, prope eum ſanguinis, quem Draco ibidem effudit, illico coagulati grumum perſpexit, intra quem Lapis quoque jacuerit: ineſſe autem *Draconiti* huic vires plurimas, quemadmodum ab iisdem antenatibus quondam perceperat, inprimis alexiterias, & ad Haemorrhagias ſiſtendas quascunque. Haec ante Judicem, tunc temporis Comitatus Rotenburgi Praefectum D. Petrum a Kees depoſuit Stempflin, cum à Martino Schribero, ut pignus tandem jam exacto tempore redimeret, urgeretur. Sed quia Ruſticus pecuniam redimendi ſibi non eſſe edixerat, Lapidem Schribero adjudicare libenter eſt paſſus: quod actum eſt Rotenburgi A. 1509. die Lunae poſt feſtum *S. Martini.*

An indubia ſint, quae ruſticus, iſque unicus edicit, ſe ante 30. jam Annos a majoribus ſuis audiviſſe, ab Avo repertum Lapidem, quem praetervolans Draco cum ſanguine dejecerat, non vacat accuratius excutere, nec id inprimis decidere, an tantae alae hujuſmodi Animalibus adſint, ut

ut per quatuor vel quinque horarum intervallum, aëra tranare valeant, quod de nullis hujuſmodi Animalibus obſervatum legimus, niſi iis, qui Poëtarum fabulis celebrati, Cererem vel Proſerpinam vexêre: de quibus OVIDIUS *Metamorphoſeos L. V. Fab.* XL.

- - - Geminos Dea fertilis Angues
Curribus admovit, fraeniſque coercuit ora,
& medium Coeli, terraeque per aëra vecta eſt.

CLAUDIAN. - - - *Sinuoſa Draconum*
Membra regens, volucri qui pervia nubila tractu
Signant.

Nec accuſabimus fraudis alicujus ruſticum vafrum forte, & ex iis quorum ſimplicitas jam cum ipſo Saeculo aureo, non niſi Calendis graecis reditura, evanuit: arguendo Lapidem, cujus STEMPFLINO veri natales forte melius perſpecti eſſent, pro pecunia obtrudere eum calluiſſe: nec ſibi, ut illo pretio redderetur, voluiſſe: cum tamen Lucernae non defuiſſent emptores, multo liberaliores, ſi fraudis omnis ſuſpicio abfuiſſet.

Sed Lapidem ipſum & depoſitas has Draconis reliquias, paulo attentius conſideremus, & de Cimelii ſinceritate ſententiam ipſi colligamus.

1°. Lapis ſeu *Draconites* A quem genuina figura exhibemus (*Tab. IV. Figg.* 1. & 2.) niſi ex una ſaltem parte tantiſper protuberaret, eſt ſatis ſphaericus. Ponderat uncias novem. Superficies ejus, quamvis terſa, tamen polita non eſt, quin non ſcabritie & alicubi etiam parvis foveolis defoedetur. Quouſque colore

non tingitur verus, videtur Silex, ex quo ignis excuti ſolet, ejuſque etiam duritiem poſſidet, ſed opacus omnino, nec ſemipellucidus aut corneus, ut vocant: coloris ex albo luteſcentis, totamque ejus ſubſtantiam eandem eſſe tam ex hydroſtatico experimento comprobatur, quam ex foveola, e qua fruſtulum, ſine dubio ob violentam aliquam illiſionem, exſiliit: ut proinde conjici haud poſſit in Animalis alicujus viſceribus eſſe generatum; nam nec ita graves eſſe ſolent Zoolithi, nec tam duri, & compacti, ſed plerumque lamellis ſeu tenuibus ſibi incumbentibus cruſtis, quarum in noſtro nulla veſtigia, componuntur; videtur propterea potius, ob marmoream illam duritiem & gravitatem, civem Regni mineralis eſſe, nec quoque artificialem, ſi maculas exceperis, fiunt quidem arte aliqui Lapides virtutibus medicis etiam pollentes, ſed duritiem hujuſmodi non aſſequuntur: exemplo eſt Lapis ille contra Eryſipelata, qui miraculi inſtar pauca intra momenta illa diſſipat, ſi appendatur.

2º. Maculae, quibus ornatus eſt Draconites, ſunt coloris fuſci, qualem propemodum chartae illinita Terra illa ſeu Ocra efficit, quam *Umbram* vocant: ſuperficies earum eſt terſa, & alicubi parumper reſplendens, ita ut non parva indicia exſtent, Lapidi encauſticum pigmentum inductum fuiſſe penicillo, & quidem tractubus tenui initio ſurſum à ſiniſtra ad dextram deorſum ductis: imo apparet ſatis liquidam fuiſſe mixturam, cum alicubi confluxerit, & unus tractus adhuc madidus, cum mox ſubſequente ſeſe commiſcuerit. Sed melius iſta percipientur, figuras Lapidis attentius percurrendo.

A (*Fig.* 1.) Facies una Draconitis. *a. b.* macula penicillo a ſiniſtra aſcendendo in dextram deorſum ducta, ſub finem, ut fieri conſuevit, coloratior; *c. d. e.* macula ſimili modo deſcripta, ſed penicillo pigmento turgido, hinc in *c.* non acumita evaſit, & cum in *d.* macula ſequens, non exſiccata priore, inducta fuerit, color ibidem in *e.* denſius confluxit. *f. g. h. i.* loci

loci Lapidis ſuperficiei nimium terſae, quibus color vel non adhaeſit, vel parum admodum, cum, ut ajunt, auffugerit. *k. l. m. n. &c.* fovelae in lapide.

B (*Fig.* 2.) Facies altera *a. b.* macula eodem tractu naturali & conſueto ducta, infime *b.* itidem coloratior: & quia macula *c. d.* jam ſicca erat, antequam haec induceretur, cum illa ſe in *b.* non conſudit, ſed diſtincta remanſit. *c. d.* macula penicillo colore non nimium gravido depicta, ubi in *c.* foveola ob excuſſum fruſtum. *e. f.* macula denſius colorata, cum mox penicillus recenter colore imbutus fuerit. *g. h. i.* ſegmentum, quod abundantius pigmento inductum eſt, hinc in *h.*, cum ſine dubio in hoc latus Lapis reclinaret, ſupra maculam *c. d.* jam exſiccatam defluxit. *k* macula adhuc alba parva, cui forte Lapis, dum exſiccaretur, injacuit, vel ob nimium laevorem non adhaeſit. *l.* foveolae denſo colore repletae. *m.* pars ſegmenti inferioris tenuiter tincta, pigmento, utpote fluido, ob lapidis poſituram verſus *k.* delabente. Non dubitandum exercitatum Artificem hujuſmodi quid imitari poſſe; experimentum ego feci, cum encauſtum globis lapideis inducere curavi: ſed quia Lapides arenarii erant, & ex rivis collecti, calorem fornacis ex omni parte ferre non potuerunt, tamen ubi minus friabiles facti eſſent, adpictae maculae ſatis firmiter adhaeſerunt.

3°. Ex eo porro etiam de Draconitis noſtri ingenuitate dubitari poſſe videtur, quod nullus alius, qui ei vel ex parte duntaxat aſſimilari poſſit, uſque dum comparuerit, imo a reliquis omnibus, qui ſub Draconitis nomine celebrantur, Lapidibus, omnino diverſus ſit, quemadmodum & illi inter ſe vix non omnes variant, & natales ſuos aliis rebus debere deprehenduntur; ut merito dubitetur, an verus Lapis intra Draconis, vel caput, vel ventrem progenitus, in rerum natura exiſtat. Primarius Lithographorum Boetius de Boot de ſe ipſo teſtatur *Hiſt. Gem. & Lapid. L.* 11. *c.* 17. Sibi ſaltem *Dracontiam* Lapidem nondum viſum eſſe. Non pigeat,

Digitized by Google

Draconitarum ſive Lapidum hoc nomine celebrium Catalogum adduxiſſe.

Draconites ſive *Dracontia* e cerebro fit Draconum, eſſe autem colore translucido, nec poſtea poliri aut artem admittere, ſed non niſi in viventibus abſciſſo capite reperitur. PLIN. *L.* XXXVII. *c.* 12. nam ſi obeat prius ſerpens, cum anima ſimul duritie ſoluta, evaneſcit: adjungit SOLINUS *Polyhiſt. c.* 62.

Draconites aut *Draconius* vel *Obſianus*, qui etiam *Kimedius Veſpertinus* vocatur, lucidus ac tranſparens cryſtallini coloris Lapis eſt ſecundum aliquos. ALBERTUS MAGNUS quoque figuram pyramidalem, non lucidam habere, dicit: in circuitu colore pallido, in quo pulcherrimus Serpens eſt deſcriptus, addit CAESALPINUS *L.* II. *de Metal. c.* 41. nonnulli dicunt lucidum eſſe ut Speculum cum nigredine. CAMILL. LEONARD. *de Lapid. L.* II. *c.* VII. *p.* 72.

Dracontia MARSILII FICINI eſt lupini magnitudine, ſtellis quamplurimis naturaliter inſignitus, qui aceto impoſitus in rectum & obliquum fertur. BOET DE BOOT. *Hiſt. Gem. & Lap. L.* II. *c.* 172. *Aſteria* Lapis pro Draconite fuit FICINO, ex cujus forte auctoritate juxta picturam noſtri Draconitis Lucernenſis, ſtellarem Lapidem rotundatum, pollicem diametro excedentem, & unciam ponderantem, appingere curavit R. CYSAT. *MSC. Tom. D.* p. 36. & a LEOPOLDO Nepote *Figura E. Deſcript. Lac. Luc.* & ab ipſis etiam Draconites creditus, ſubnectens longam ſchedam ejus virtutum, quas & videre eſt apud M. B. VALENTINUM *Muſ. Muſ. Tom.* II. *c.* II. *p.* 4.

Draconites Olivaeformis, ſed major Jaſpidis inſtar reſplendens, variorum colorum, aquam, cui imponitur, bullire faciens, ex Draconis in Rhodo a DEODATO DE GOTZON occiſi capite exemptus, & a *Nobiliſſ.* GOTZONUM Familia aſſervatus, ſummarum virtutum alexiteriarum, LEOP. CYSATUS *l.* ſaepius *c.* 173. ex JOHAN. FOXANO *Equite.*

Dra-

Digitized by Google

Draconites ſeu *Ophites*, & Carbunculus, quem praegrandis Serpens de corpore dejeciſſe dicitur, magnitudine fructus Arecae decorticati, ovalis, tranſplendens, coloris rutilantis flavi, & ad rubrum vergentis, noctu tam vivide lucens, ut totum conclave illuminetur, Regi Siamenſi transmiſſus. Ex Relatione Chirurgi, qui diu in *Ligoor* commoratus eſt, Rumphius *Amboiniſche Kaɾitet-Cammer. L.* III. *S.* 58. *p.* 376.

Draconitae ſeu *Ophitae* veri, quorum unus exemptus fuit è Beſtia Baſiliſciformi in *Celebes:* alter è Serpenti praegrandi Inſulae *Mindanao*, Dracontiae Plinii ob perſpicuitatem chryſtallinam, ſimiles. *ibidem p.* 305. 306.

Dracontia ſeu *Ophites*, *Lapis Viperinus*, vel *Cobra Cabelo* figurae quodammodo ovatae, compreſſus, uncia longior, latior dimidia, interdum alterutra facie magis gibberoſa, craſſitie pennae anſerinae in medio, ambitu tenuiori, ſuperficie laevi ac ſplendente, coloris ingrati nigricantis, & quandoque aliqua ſui parte albidi; ſed fruſtra fuerit illos in Anguium capitibus quaerere: non conſtat, quinam eorum factores ſint, quos tamen eſſe gentilium religioſos *Syoges*, aut ſacerdotes, quos *Brahmenes* vocant, multi conjiciunt. D. Engelb. Kaempferus *Amoenitat Exoticar. Faſcic.* III. *Obſ.* X. *p.* 581. Confer. D. Rai *Synopſ. Animal. Quadrup. de Serpente p.* 319. & 331.

Draconites ſeu *Draconius Lapis Lucernenſis ſpurius* mihi, ſic *Exc.* Langius noſter, „ pro vero Draconite donatus, & cum „ vero Draconite Lucernenſi Cysati, magnam affinitatem ha„ bet; magnitudine & figura ad Ovum anſerinum proxime ac„ cedit, graviſſimus eſt, & durus ut Marmor, laevis atque po„ litus, nigroque colore tinctus, maculis luteis ſeu flaveſcenti„ bus hinc inde per exiguas ſtrias unitis, interſperſis, inventus „ eſt in torrente Emma.“ *Hiſt. Cap. Fig. Part.* I. *L.* II. *c.* III. *p.* 41.

Draconites ex noſtris Hydris, vel Chelydris colligi ferunt nonnunquam. Jac. Pancr. Bruno *Lexic. Medic.* 327. eſt autem circumforaneorum impoſtura plebeis obtruſa, dum nihil aliud

Digitized by Google

aliud ſunt, quam Chelae Squillae marinae. Hoffmannus *Clav. Schröder. L.* III. *c.* VIII. 185.

Draconites, ſeu Lapis Draconis volantis, *Ein Alffiſtein.* Conchites Aëtitoides Chr. Menzel. *Miſc. Curios. Natur. Decur.* II. *A.* VI. *Obſ.* III. 5.

Dracontia Vulgi, eſt proprie *Nautilites* aut *Cornu Ammonis*, aurei ſplendentis coloris D Reiskii *Lib. citat. Decur.* III. *Anno.* VII. 185. Judicium de Draconite, Dracontiis, Draconiis & Dracocitidibus ſit penes Lectores.

Quod tandem 4° Virtutes medicas concernit, in quarum auctoramentum Diploma a Magiſtratu teſtibus adductis ſibi concedi Lapidis poſſeſſor Martinus Scriberus rogavit, & obtinuit A. 1523. & quod itidem ex L. Cysato latinum fecit D. Scheuchzerus *Itiner.* V, eas ſuo modo a Lapide exſpectari poſſe, haud negavero, licet Draconi originem ſuam non debeat; celebrabatur autem Bubonibus peſtilentialibus circumductus, & deinde 24 horas impoſitus, eorum ſuppurationem accelerare; talo autem pedis applicatus peſtilens venenum illuc attrahere, itidemque manantia ulcera crurum, manibus alligatus, curare: deinde etiam Dyſſenterias, Uterique, & alias Haemorrhagias, dextra detentus, vel alio modo corpori contiguus, ſiſtere. Verum non Draconites his virtutibus duntaxat pollere, ſed alii etiam plures Lapides depraedicantur, qui venenis tum peſtilentialibus, tum quibuſvis aliis, mederi, reſiſtere, foraſque ea attrahere, adductis etiam exemplis Scriptores celebrant: inter quos praeprimis ſunt *Rubinus*, *Sapphyrus*, *Smaragdus*, *Praſius*, *Hyacinthus*, *Achates*, *Aſtroïtes*, *Bufonites*, quorum etiam ad Haemorrhagias compeſcendas major pars praeſtare dicitur: ſed ſpecialiter laudantur *Haematites*, *Jaſpis*, *Cryſtallus*, & ipſum *Marmor* maxime *rubeum*. Quo autem agendi modo ſimiles effectus, imo ſublimiores adhuc, ſi Lithologis fides, quos attingere hujus loci non eſt, exſerant ſolidiſſima haec corpora, jam a noſtri aevi Philoſophis & Medicis unanimiter ferme eſt demonſtratum & confirmatum: nempe

Digitized by Google

nempe non ex peculiari vi lapidum occulta, nec etiam eorum effluviis inhaerente, quae vel nulla vel adeo pauca ſunt, ut & nullus ea effectus ſequi poſſit, ſed mentem aegrorum, cum pretioſa habeantur rara nec vulgaria hujusmodi remedia, obfirmando, fiduciamque ſummam excitando, à correctis ideis, animam, ſpirituum motum alterando, humores, & circa qualitates, & circa directionem, aliter determinare, atque ex morboſis iterum in naturales adjuvante ipſa Medicatrice Natura reſtitui, quod etiam non minus erudite quam ſolide demonſtravit D. MICH. ALBERTI *in Diſputatione de Therapia immaginaria*, cui adjungimus MATH. UNTZERI *de Lue Peſtifera L.* II. *c.* 9. ſententiam in haec verba: " ſi accuratiori trutina rem expendamus, non poſſumus tandem non fateri hujusmodi Amuletorum applicationi ſaepe plus ſuperſtitionis ac vanitatis, quam efficacitatis & utilitatis, ineſſe; & ſi quid periculoſiſſimis Peſtis temporibus juvare credantur, id potiſſime fortiſſimae imaginationi ac firmae de iisdem confidentiae, nec non naturali temperamenti bonitati ac robori, quam illorum virtuti ac operationi adſcribendum eſſe, „ & ſi quidem illud in ſpecie perpendimus, Lapidis bubonibus, carbunculisque impoſitionem, ſuppurationem ſequutam eſſe, mirum nobis videri non debet; roborato enim aegri animo, quod in morbo iſto alias perquam meticuloſo primarium eſt, & jam ad formatum bubonem Lapide, naturam illuc à mente adjutam, liceat nobis juxta Organicorum dogmata loqui, putreſcentes ſanguinis particulas amandaſſe, vel potius impoſiti lapidis frigore, remoratas ac condenſatas inibi ſubſtitiſſe, nec facile iterum à circulantibus humoribus in ſanguinem, & focum vitae fuiſſe abreptas; adde quod à celeberrimis Practicis moneamur, uti etiam in ultima peſte Auſtriaca obſervatum fuiſſe memini, bubonum maturationem nullis vel exiguis applicatis remediis proceſſiſſe, cum negotium iſtud naturae relinqueretur. Proprias obſervationes de Cimelii hujus energia nullas adferre poſſum, etenim jam rariſſime illud expeti ſolet, & ſiquid videbatur praeſtitiſſe, maxime in compeſcendis Haemorrhagiis, ſimul etiam aliis applicatis reme-

diis attribui potuit; vellem, ut frequentius ad experimenta adhiberetur, ſed quia Cimelium eſt, opportet, ut ſi quas habet virtutes, cum illo in arca delitefcant. Apparet autem ex R. Cysati *Tom. D. P.* 7. jam illo tempore famam Lapidis decreviſſe, & F. Platerum, & Petrum Quenzium Phyſicos, illum Baſileae, hunc Friburgi non adeo magni Lapidis famam habuiſſe, quod ex illorum Epiſtolis inibi inſertis, videre eſt.

Draco volans & adurens. De iſto haec R. Cysatus *A°.*1503. in Sylvis *Malaterrenſium*, quas ſuperas vocant; repertus eſt à venatoribus Draco dormiens: ex iis unus eum ſecuri percuſſit: Animal expergefactum exſiliit, & avolavit, locum ubi jacebat torrefactum relinquens, & frondes, inter quos evolabat, adurens; haec nec plura. Mirum frigidiſſimo ſerpentino generi, quo pertinent Dracones, tantum ignis ineſſe, ut rubentium tormentariorum globorum effectus praeſtet, & virides frondes accendat: ſed verbo, hiſtoriola videtur, vel ad jocum, vel ad oſtentationem inventa, aut demum ab ipſo timore dictata, cum

- - - - Non alter anhelus
inſinuare metus, animumque avertere veris
aptior innumerae Monſtro voceſque manusque
& facies: quaecunque libet bonus omnia credi
author, & horrificis lymphare in curſibus Urbes.
ſi geminos ſoles, ruituraque ſuadeat Aſtra
aut mutare ſolum, aut veteres deſcendere ſylvas
ah miſeri vidiſſe, putant. Stat. *Theb. L.* VII.

Draco volans ſcintillas ſpargens. Hunc demum, quo agmen claudimus, ex Kircheri *Mund. Subt. L.* VII. *p.* 89. cum Schotto, Wagnero & Scheuchzero non adduxiſſe nefas eſſet. Idem de quo plura jam ante, apatrius ille Praefectus Schorerus ita ad Kircherum: " dum A. 1619. vel uti alius, 1649. noctu coeli ſerenitatem contemplarer, ecce praefulgidum

„ dum Draconem ex immenſi ſcopuli antro Montis quem Pila-
„ ti vocant, ad aliud in oppoſita parte Lacus, antrum, quod
„ *Fhie* vocant, alis celerrimo motu agitatis transvolare vidi;
„ forma erat praegrandi, cauda longa, collo protenſo, caput
„ in Serpentis ſerratum hiatum deſinebat: dum volaret de ſe
„ ſcintillas non ſecus, ac quando candens in incu de fabri fer-
„ rum tundunt, ſpargebat, cenſebam primò meteorum quod-
„ dam me videre, ſed poſtquam ſingula diligenter obſervavi,
„ verum Draconem fuiſſe ex ipſo motu, membrorumque
„ omnium conſtitutione cognovi, „ ſi Praefectus noſter ex patrio Solodorenſi ſolo ad minimum 14. leucas diſtante Draconem hunc tam accurate obſervare potuit, oportet eum immenſae fuiſſe magnitudinis, & vix minorem illo, de quo Arabs apud Bochartum longo fere duabus paraſangis; ſed ſi etiam ex ipſa noſtra Urbe, aut propius adhuc Pilato Monſtrum obſervaſſet, imo ſi pertica, ut aiunt, attigiſſet, quomodo quaeſo ſerratum rictum, ipſoſque ideo dentes, quos tam nitide expreſſit D. Scheuchzerus *Tab.* IV. *L. C.* 385. diſtinguere etiam lynceis oculis potuiſſet, porro alia negligentes, quam inepta videtur Animali huic alarum inſertio, quam parvae, & tali ferendo Serpenti impares, & cruribus inſertae ad greſſum & volatum loco ineptiſſimo; confer. Borrellus *de Mot. Animal* C. XXII. *p.* 214. *& ſeq.* quod autem ſanam rationem maxime offendit, eſt, quod ignem Animal & ſcintillarum pluviam de ſe ſparſerit, cum tamen cunctis quatuor Antiquorum humoribus praeditum fuiſſe neceſſe ſit; credat Judaeus Apella. Fuit itaque Draco meteorum, ſi quid fuit, quod obſervatum eſt, de quo tamen apud omnes ſilentium. Non infrequentia autem eſſe meteora illa, quae *globi igniti*, vulgo autem *Dracones volantes* vocantur, imprimis circa Pilatum, de quibus nos ſupra C. III. ſed jam & plebs noſtra à praejudiciis hujusmodi libera eſt, ut hujusmodi per Aërem motos ignes pro Animalibus habeat.

Licet autem Dracones, qui Montem noſtrum, & ejus viciniam incoluiſſe perhibentur, excidiſſe, aut ſaltem dubioſos maxime feciſſe videar, nullatenus tamen ea mihi incredulitas eſt, ut animalia hujusmodi Draconis nomen promerentia, quemadmodum vulgari ſenſu accipitur, in rerum natura omnino non reperiri aſſeram, ſed nequaquam Caroli Linnaei *Draconem* inter veros recenſere velim; eſt enim ille *Lacerta volans* ſui generis Animal, quod forte ſpecies, non tamen hucuſque notas, plures comprehendit. Animal quadrupes, nudum, caudatum, alis duabus lateralibus, radiis membranis cohaerentibus; oculatiſſimo autem noſtro faeculo de Bipede Genere nec ex ipſa Africa quidquam innotuit, quodque per traducem conſtanter ejusmodi figurae ſe ſe propaget, ideoque ad Monſtra & Naturae libidines illa, quae hucusque innotuerunt, referenda eſſe, cenſemus: quam opinionem fuiſſe & Aldrovando *L.* II. *de Serp.* *C.* V. &, ut videtur, etiam Kirchero *l. c. p.* 101. propterea quoque inter iſtorum Draconem, ſeu Monſtrorum numerum libenter collocamus *Draconem* illum *Bononienſem A.* 1572. tertio idus Maji repertum de quo vide citatum Aldrovandi locum, ut & *Mundum Subterraneum p.* 99. cujus etiam inibi figura exſtat; itemque *Romanum A.* 1660. Menſe Novembri à lanione quodam occiſum, de quo iterum in *Mund. Subterr. p.* 95. ac adhuc alterum Romanum in Paludibus prope almam Urbem A. 1691. captum, cujus tam vivi, quam mortui, imò & ſceleti ejus accuratas figuras exhibet, ejus poſſeſſor, Architectus Cornelius Meyer, in frontibus libri *Dell. Arte di render. navigabili i Fiumi P.* I. II. & III. quibus & addendus ille *Pinacothecae Barberianae* à Terentio Fabro, *Lynceo*, deſcriptus, & à Kirchero etiam exhibitus *p.* 103, qui omnes enarrati mole & ſtatura parvi admodum ac exigui, ac figurae inter ſe abſimiles pro veris & naturaliter productis Monſtris agnoſci & haberi poſſunt; & ab artificialibus illis omnino diverſi, quia ſtellionatorum, & dracoſicum ex minoribus Rajis concinnatum Mangonium haud produnt; quorum elegantem figuram habes

apud

apud D. LOCHNERUM *in Muſeo Beſleriano Tab.* XV. cui vix non centum aliae fictitiorum eſſent jungendae. Quemadmodum etiam infinitarum ferme Hiſtoriarum hujuſmodi de magnis Draconibus, quos poſtmodum conſtitit magnas fuiſſe Aves migratorias. vide *Mercurii Gallici, Anni* 1745. *Octobrem*, & *Doctiſſ.* DON CALMET ſententiam.

Aves Indigenae, Advenae Hoſpites Pilati & Viciniae.

AVES TERRESTRES.

Roſtro & unguibus aduncis.

AQUILA GESN. *Vogelbuch p.* 1. ſive *Aquila aurea* WAGN. *Hiſt. Nat. Helv.* 192. *Adler.*

AQUILA *pulla*, *Melianetus* G. 10. *Aquila Valeria* W. 193. *Schwarzer Adler.*

AQUILA *oſſifraga* G. 10. *Beinbrecher.*

VULTUR *auratus* G. 72. *Vultur.* W. 227. *Gold Geyr.*

Plures de rapaciſſima hac ave hiſtorias narrat L. CYSATUS 183. & *ſeq.* & ex eo etiam WAGNERUS, quae haedos, agnos, lepores, rupicapras & capreolos minores, infantes imo & pueros aggreditur, in ſublimia tollit, & nidis ſuis infert in eſcam futuros; nidum hujuſmodi Ciconiarum ſimilem in inacceſſi ſcopuli cratere vidit ipſe P. JO. BAPTISTA CYSATUS S. J. Leopoldi Frater, ob *Cometographiam* inter Aſtronomos celebris, ſed vix impune, cum enim ova nido impoſita ipſe & comites curioſius luſtrarent advolantes Αἰγυπιοὶ γαμψώνυχες pullorum parentes tanto impetu irruere, ut armis, non niſi interempta matre, maſculum abegerint. Erat occiſae avis ab una alarum expanſarum extremitate ad alteram ad duodecim pedes longitudo, ab apice vero roſtri ad ulti-

mum caudae ſeptem, majores in alis pennae cubitales. Prope nidum ſpectabatur veluti oſſuarium, variorum animalium imo & piſcium reliquiae, inter quas & puerorum crania. Sed non pueros tantum, nam adultos etiam viros ventri ſi dapes negentur inſultare audet, quod frequenter accidiſſe apud citatos videre eſt. Anno proxime elapſo, Januario menſe ad pedes Pilati in *Alpnach* a concurrentibus aliquot ruſticis non ſine lucta hujuſmodi Vultur occiſus, cum fame preſſus ovibus, quas in ſtabulo concluſas ſuboluerat, inſidiaretur: ſed magnitudine paulo ante deſcripto inferior, a roſtro enim quinque pollices longo ad ultimam caudam parum excedebat quatuor pedes, ab unius alae extremo ad oppoſitum ſeptem numerabantur, coeterum figurae *Geſnerianae* ſatis ſimilis, myſtacia vel barbam, quae tenuibus & paucis veluti ſetis conſtabat, ſi excipias, ad roſtri inferioris radicem dependens.

Buteo G. 143. *Mooshuw.*

Spiraverius, *Niſus* G. 144. *Sperber.*

Accipiter G. 120. *Habick.*

Falco G. 146. W. 196. *Falck.*

Falco *montanus* Rai, 4. *Gelbfus-Falck.* quem ad ſclopo è quercu dejectum ſumme macilentum deprehendi: aegritudinem aliquam arguens, inveni roſtrum ſuperius magis exiguum, quam in hac Ave eſſe debuiſſet: attrectatum molle deprehendi, ſuſpicabar aliqua injuria connatum perdidiſſe, & hoc jam recens in ſuccretionis actu eſſe, & quia tenerum conſuetis alimentis ſeſe nutrire haud potuiſſe, hinc oſſibus cutis haerebat.

Falco *cyanopos* G. 155. *Blaufus Falck.*

Aselo, *Smerlus* G. 143. *Smirlin.*

Milvus G. 260. *Wye.*

Tinnunculus G. 145. *Wannewye.*

Cuculus G. 70. *Guggu.* Emblematicum non unum fovi, quique mercedem reddidit quam Cuculus Currucae.

Noctua G. 169. *Kutz.*

Noctua,

Noctua, *Saxatilis* G. 168. W. 202. *Steinkutz.*
Bubo G. 159. W. 194. *Berghuw*, *Ohrenhuw.*
Vlula G. 253. *Euel*, *Nachteul.*
Loxia G. 168. *Kreutzvogel.*
Flaveſcens & *Rubra.* Maſculo ſuperius roſtrum verſus dextram incurvatur, in ſiniſtram autem foeminae.
Coccotraustes G. 230. *Bolenbicker.*
Lanius *major* G. 236. *Groſſe Dorn-Egerſte.*
Laniorum *genus majus* G. 238. *weiſſe Dorn-Egerſte.*
Lanius *cinereus* G. 236. *Dorn Egerſte.*

Roſtro longiore, magis recto, itemque unguibus minus hamatis.

Corvus G. 197. *Raab*, *Rapp.* A. 1609. Corvorum & Cornicum copia moleſta erat inaudito exemplo Ciconiarum pullos nidulantes aggreſſi ſunt, quos vel nidis ejecerunt vel dilaniarunt; hinc Ciconiae media aeſtate abitum antevertentes omnes avolarunt; inſecuta eſt annonaę caritas juxta inſolitam aquarum increſcentiam;
Monedula G. 252. *Dule.*
Alba quandoque apud nos viſa.
Monedula *montana* pedibus rubris. *Bergdule.* Hae in crepidinibus rupſum Pilatinarum copioſae nidificant.
Cornix G. 162. *Kraehe.*
Cornix *varia* G. 164. *Nebelkraehe.*
Pica G. 12. *Egerſte.*
Pica *glandaria*, *Garrulus* G. 13. *Heerenhezle.*
Nucifraga, *Caryocatactes* G. 182. *Nusbrecher.*
Picus *maximus niger* G. 227. *Specht*, *Kraeſpecht.*
Picus *varius* G. 227. W. 205. *Egerſteſpecht.*
Picus *viridis* G. 227. *Gruenſpecht.*
Picus *cinereus*, *Sitta* G. 228. *Klaen.*
Certhius G. 210. *Baumklaen*, *Spitzklaenle.*
Upupa G. 259. *Weidhopf.*
Corvus *ſylvaticus* G. 200. W. 196. *Waldrapp.*
Alcedo, *Alcyon* G. 28. *Eisvogel.*

Alce-

Alcedinum non una eſt ſpecies, maxime notæ ſunt major & minor; cum iis anno 1719. volare viſa eſt Avis, quae Picam glandariam magnitudine aequabat pulcherrime & variegate colorata, roſtro Alcedinis breviore.

Merops *alter* G. 162. *Meerſchwalbe.*

Licet ſint unius ſpeciei Meropes, tamen adeo coloribus variant, ut inter 25. vix tres eodem modo coloratae reperiantur: cum circa finem Julii adveniunt praevolans Larus eos ducit, quem ſemper ſequi ſolent.

Trochilus *terreſtris* G. 108. *Heggeſcher, Erdhuenle.*

Rusticula *ſylvatica* G. 111. *Waldſchnepf.*

Roſtro breviore ſed magis recto, Majores.

Gallus G. 76. Gallina G. 85. *Haan, Henne.*

Inter ova Gallinarum moſtroſa oppido rarum eſt illud ante 12 circiter annos apud nos editum, quod diſtinctis & protuberantibus tractibus Nomen ſuper omne Nomen literis IHS, cruce media impoſita conſtringi ſolitum radiisque in circulum diſpoſitis coronatum exhibebat, Ovo illo Cometam ferente à du Blegny *Zod. A. III. p.* 30. & ab aliis celebrato, aut illo quod Solis imaginem referebat, de quo D. Gockelius *Decur. II. An. VI. Nat. Cur. Obſ.* 128. *p.* 266. haud poſtponendum. Pyriforme acutiore extremitate recurva, & aliud minus, vix nucem moſchatam aſſequens duabus teſtis interiore alba & tenui, exteriore cinerea & denſa mihi quoque allata ſunt.

Gallopavus G. 103. *Welſcherhaan.*

Pavo G. 187. *Pfau.*

Phasianus G. 51. *Faſane.*

Perdix *major* G. 196. W. 204. *Rohthun, Parneiſe.*

Perdix G. 195. *Rebhun.*

Coturnix G. 254. *Wachtel.*

Ortygometra G. 256. *Wachtelkoenig.*

Urogallus G. 105. *Urago, Pavo agreſtis, Phaſianus montanus, Tetrao* Plinii W. 206. *Orhaan.*

Urogallus *minor* G. 106. W. 207. *Laubhaan, Wildhun.*

Gri-

GRIGALLUS *major* G. 107. W. 199. *Grigelhaan.*
GRIGALLUS *minor* G. 107. *Spillhaan.*
GALLUS *Betulae* G. 160. *Birckhun:* in nemoribus ad Pilatum frequens.
ATTAGEN G. 158. W. 194. *Berghun.*
GALLINA *Corylorum.* W. 197. *Haſelhun.*
LAGOPUS G. 213. W. 200. *Schneehun.*
LAGOPUS *varia* G. 214. W. 201. *Steinhun.*
TURDA, *Biſtarda*, *Otis* G. 104. *Trapp-Gaus oder-Hun.*

Roſtro breviore ſed magis recto, Mediocres.

COLUMBA G. 239. *Daube.*
COLUMBA *livia* G. 248. *Holtzdaube.*
PHATTA G. 248. *Ringeldaube.*
PHAPS G. 248. *Lochdaube.*
PALUMBUS G. 248. *Blochdaube.*
COLUMBA *ſylveſtris.* *Wildedaube.*
TURTUR G. 250. *Turteldaube.*
TURTUR *ſylveſtris.* *Wilde Turteldaube.*
TURDUS *viſcivorus* G. 203. *Miſtler.*
TURDUS *minor*, *Illas* G. 204. *Bergtroeſtle, Weiſsler.*
TURDUS *minor*, *alter* G. 204. *Troeſtle.*
PILARIS, *Trichada* G. 201. *Reckholdervogel.*
MERULA G. 17. *Amsle.*
MERULA *torquata* G. 18. *Montana* W. 202. *Ringamsle.*
MERULA *aquatica* G. 19. *Waſſeramsle.*
RUBECULA *ſaxatilis* G. 212. *Bergamsle.*
ORIOLUS G. 227. *Vitiflora.* *Goldamsle*, *Wittewal.*
STURNUS G. 229. *Starre.*

Adeo numeroſa eſt circa Lacum, inque ejus cannetis hujus avis ſpecies, ut ab uno aucupe aeſtivis menſibus 1800 captae memorentur. Circa veſperas occiduum ſolem volatu inſequuntur, manè verſus ortum volant, hinc juxta eorum itus reditusve è cannabis filo paratas naſſas, coeteroquin piſcationi deſtinatas, ceraſis injectis ad palos appendunt, quas illae involant, &

oſtii immemores, ſtolida enim avis eſt, vivae in praedam cedunt.

Roſtro breviore, ſed magis recto, Minores.

Hirundo G. 214. *Schwalbe.* Ubi hyemem tranſigant Hirundines abunde & luculentis obſervationibus comprobat Rzaczynscki *H. N. R. Pol.* 284. exempla afferens compluria invicem magno numero concatenatas, & alis ad alas, pedibus ad pedes, roſtris ad roſtra implicatas a Piſcatoribus ex Poloniae, Pruſſiae & Pomeraniae, Lacubus multoties extrahi, quae ſi non omnes ſaltem major illarum pars aëre tepido ex rigentibus iterum reviviſcant. Propterea autem aquis, iisque frigidioribus ſe ſubmergere hirundines ex naturae inditae ingenio arguendum, ut dum hyeme pabulum, quod iis ex inſectis volucribus unice eſſe videtur, non habeant, intra aquas ſe recondant, ut omni tranſpiratione impedita, nullam ſubſtantiae jacturam patiantur, & tenui vita morti quam proxima, in veris reditum, cujus tepore commoto ſanguine denuo excitari ſolent, ſerventur: quemadmodum compluribus aliis animalibus contingit, quae totas hyemes ſopore tanto, ut omnino emortua haberi poſſent, prehenſa videntur.

Hirundo *ſylveſtris* G. 217. *Bergſchwalbe.* Summos ſcopulos Pilati incolere & circumvolitare ſolet frequentiſſima haec avis montana.

Opus G. 218. *Spyrè.*

Jynx G. 216. *Windhals, Ameisfreſſer.*

Luscinia G. 179. *Nachtigal.*

Hortolana G. 65. *Miliaria. Ortolan.*

Alauda G. 170. *Loerch. Campeſtris, Arborea, Saxatilis.*

Fringilla G. 53. *Finck.*

Fringilla *montana* G. 53. *Waldfinck.*

Linaria G. 173. *Schoeſsle, Linfinck.*

Linaria *rubra* G. 174. *Stockhenfling.*

Rubicilla G. 121. *Güger, Blutfinck.*

Ruticilla, *Phoenicurus* G. 211. *Hausroetheli.*

Rubi-

Digitized by Google

RUBICAUDA G. 212. *Rohtſchwaentzle.*
RUBECULA, *Erithacus* G. 210. *Waldhuperle*, *Waldroethele.*
REGULUS vel *Trochilus* G. 66. *Koenigle.*
CURRUCA vel *Ficedula* G. 66. *Grasmuck.*
MUSCIPETA G. 238. *Fliegenſtecherle.*
FICEDULA, *Atricapilla* G. 67. *Schwartzkopff.*
FICEDULA *ficaria.* *Beccafig.*
CHLORIS G. 67. *Gruenling.*
SERINUS G. 68. *Grasmuck*, *Faedemle.*
MOTACILLA *alba* & *flava* G. 257. *Waſſerſtelz.*
PARUS *major* G. 178. *Spiegelmeyſe.*
PARUS *alter* G. 178. *Kohlmeyſe.*
PARUS *caeruleus* G. 178. *Montanus.* *Blaumeyſe.*
PARUS *paluſtris* G. 178. *fuſcus ſive cinereus.* *Muermeyſe.*
PARUS *criſtatus* G. 179. *Kobelmeyſe.*
PARUS *caudatus* G. 179. *Monticola.* *Pfannenſtihle.*
PARUS *ſylvaticus* G. 179. *Waldmeyſe.*
PARUS *auratus.* *Goldmeyſe.*
PASSER G. 122. *Spatz.*
PASSER *harundinarius* G. 224. *Rohrſpatz.*
PASSER *ſylveſtris*, *magnus* G. 223. *Gerſtenvogel.*
PASSER *Troglodites* G. 223. *Zaunſchlüpfferle.*
PASSER *Canarius.* *Canarievogel.*
CARDUELIS G. 27. W. 196. *Diſtele.*
CITRINELLA G. 68. *Citrinle.*
EMBERIZA *flava* G. 224. *Emeritz*, *Gilbling.*
ACHANTIS, *Spinus*, *Ligurinus* G. 262. *Cysle*, *Zinsle.*

AVES AQUATICAE.

Aquis non innatantes, *Fiſſipedes*, *Roſtro minus craſſo*, & *recto*, *Limoſugae.*

Rusticula, *Perdix ruſtica major.* G. 111. *Gallina ruſtica* W. 198. *Riedſchnepff.*

Ante vel circa medium Autumni inviſunt nos Aves hae numeroſae, ex Borealibus terris, & è Norwegia maxime advolare quidam autumant, plebeis etiam menſis delitias augent.

Gallinago, *Ruſticula minor.* G. 112. *Waſſerſchnepff.*

Noſco ſpecies tres, Majorem unam & vulgarem, Minores duas, unam roſtro breviore, alteram albam ſeu ſaxatilem.

Gallinula *aquatica* G. 109. *Waſſerhünlein.* Harum adſunt ad minimum decem ſpecies diverſae.

Aquis non innatantes, fiſſipedes, roſtro minus craſſo, vel recto vel adunco, longiore, Piſcivorae.

Grus G. 165. *Krye, Kranich.*

Ardea *pulla* vel *cinerea* G. 206. *Gemeiner Reigel.*

Ardea *ſtellaris major* G. 209. *Botaurus, Butio* W. 194. *Rhor-Reigel, Rohr-Mune.*

Vanellus G. 72. *Kiwitt, Giwitz.*

Charadrius G. 238. *Triel.*

Falcinellus G. 210. *Sichle-Reigel*, aliquando apud nos viſus.

Ciconia G. 230. *Storch.*

Ciconiae vix non quovis anno 22. Februarii adveniunt, raro citius; tardius in regionibus borealibus: vix ante 20. Martii in Pomerellia, notante Rzaczinsk. p. 274. abeunt ad finem Auguſti; hybernare in Aethyopia & Aegypto Bellonii Obſervatione notum. Licet autem impune apud nos & numeroſe nidificent, vulgo enim ea inhaeret opinio, quod ſerpentes & bufones devorent, quos tamen ſi alia alimenta non deficiant intactos relinquere experimentis conſtat, damnoſum ideoque arcendum eſt animal; ranis enim, alias ad piſces paſcendos deſtinatis, imprimis autem nidificantium avium ovis pulliſque, ut Perdicum, Alaudarum

Digitized by Google

darum, Vanellorum, Ruſticularum, Gallinaginum, Anatum, & ſimilium magis exquiſitarum, itemque piſcium genituris inhiat, quas roſtro ſuo exſugere novit; immo parvis Lepuſculis non parcit, quos integros in ingluviem detrudit. hinc merito alibi mandata regia exſtant, ut quotquot poſſint, occidantur. *vid. Breslauer Samlung* XXIII. *Verſuch. p.* 288.

Ciconia *cinerea* A. 1642. viſa.
Ciconia *nigra* G. 234. *Schwartzer Storch.*

Quandoque occurrit. *L.* Cysatus *L. c.* narrat aliquot millia ab ipſo in ſcopulis Siculi maris A. 1627. viſa.

Nycticorax G. 182. *Nacht-Rapp.*

Aquis non innatantes, fiſſipedes, roſtro magno & adunco.

Toucana *Braſilienſium. Schnabel-Specht, Pfeffer-Vogel*, ſed male, cum piperis grana non attingat. Quae apud nos An. 1619. in naſſa Sturnis tendi ſolita reperta fuit ita deſcribitur a *L.* C. 182. Roſtrum praegrande erat falcis inſtar incurvatum, & ponderoſius ipſo ave magnitudine Monedulam aſſequente, piſcem uno hauſtu, tantum quantum ipſa ponderaret deglutiebat. Rara opido in oris hiſce Avis; narratur unam telo trajectam in praelio navali ad *Naupactum v. Lepanto* inter pugnantes decidiſſe. In vivario quoque Regis Chriſtianiſſimi Fontbellaquenſis aliquando enutrita eſt. *V. Mus Besleri* D. Lochneri *p.* 34.

Aquis innatantes, fiſſipedes.

Fulica G. 22. *Moere, Bollent.*

Aquis innatantes, palmipedes, roſtro minus lato.

Onocrotalus, *Truo* G 183. W. 203. *Kropſgans, Ohnvogel.*
Mergulus G. 50. *Tauch Ent, Tauchele.*
Mergus *Rhenanus* G. 45. *Rhin-Ent.*
Mergus *ruber* G. 46. *Rothkopff.*
Colymbus *major* G. 49. *Hole, Fluder.*
Carbo *aquatius* G. 48. *Waſſerrapp, Scharbe.*

Larus *vulgaris*, *noſtras* G. 175. *Brodhole*, *Mebe.*
Sterna, *Larus minor* G. 176. *Gyritz*, *Sternmebe.*

Aquis innatantes, palmipedes, latiroſtrae.

Anser *domeſticus* G. 56. *Gans.*
Anser *fera* G. 62. W. 172. *Schneegans.*
Anas *cicura.* G. 29. *Ente.*
Anas *fera*, *fuſca* vel *media* G. 39. W. 191. *Grabente.*
Anas *fera*, *torquata*, *major* G. 38. *Stoertzente.*
Anas *fera, torquata, minor* G. 37. *Blawente*, *Blaukopff.*
Anas *latiroſtra* G. 40. W. 191. *Schellente*, Major & minor.
Querquedula G. 34. *Grauvente*, *Kodente.*
Cygnus G. 219. *Schwaan.*

Recenſuimus ex Avibus eas, quas ſaltem certo novimus aut ſemper noſtro caelo gaudere, an omnes omnino haud aſſeruerim, aut advenas tranſmeanteſque aliquando viſas & obſervatas eſſe. Sed priusquam ad Pisces nos convertamus de quadrupedum & volatilium cicuratorum pacifica ſocietate rarum exemplum ex Renw. Cysato commemorare haud omitto; A. enim 1582. erat in Civitate noſtra Matrona quae ſequentes convivas, numero duos ſupra viginti ex eodem catino eſcam quotidie capere aſſuefecerat, quod illi ſine jurgiis & litibus, tranquilli & pacati omnes ſimul ſolebant: erant autem inter convictores iſtis *Canis, Felis, Mus, Marmotta, Monedula alba, Gallina, Capo, Merula, Turdus, Sturnus, Pica glandaria, Parus, Paſſer, Turtur.* Parochus quidam non procul Lucerna ante 40. circiter annos hos quatuor ex eadem ſcutella paſcere eſt ſolitus, *Canem, Felem, Murem & Paſſerem*; tantum poteſt in cicurando adhibita ſolertia, tantum

Magiſter artis, ingeniique largitor
Venter:

ut feram indolem dediſcant bruta & mures etiam contra Plinii ſententiam manſueſcant.

Digitized by Google

Rivos & Lacus Pilati & ejus viciniarum inhabitantia

A Q U A T I L I A.

Natantia ſeu Piſces.

S*Quamoſi, unica circa medium dorſi pinna flexibili, breviores & latiuſculi.*

Blica, *Ballerus*, *Pleſtya* Gesn. *Fiſchb.* 167. Cys. *Des. Lac. Luc.* 91. *Bliengge.*

Cyprinus *latus*, *Brama* G. 156. C. 58. *Brachſme.*

Refert Cysatus de ingente piſce in Lacu *Rootſee* viſo famam in civitatem ſemihorio diſtantem perveniſſe; qui miſſi fuere ut rem accuratius inſpicerent, retulere conglomeratas Bramas monſtroſum veluti piſcem figuraſſe, quibus ſe ab invicem ſeparantibus, fictitia illa Balena evanuit.

Squamoſi, unica in dorſo pinna flexibili, breviores & minus lati.

Phoxinus *ſquamoſus major* G. 158. C. 93. *Erzole.*

. . . . Imbelles
Phoxini Muſtelis non niſi praeda ſumus.

Phoxinus *ſquamoſus minor.* G. 158. C. 95. *Bambele, Haarluckle.*

Capito, *Cephalus*, *Squalus* G. 169 C. 83. *Aleth.*

Rutilus, *Rubellus* G. 167. C. 90. *Rotte.* Ventre albo, item rubro.

Cyprinus, *Carpio* G. 164. W. 213. C. 53. *Karffe, Karpf.*

Cum varie colorata occurat hujus piſcis ſpecies, diſtinguitur ab aliquibus in *Cyprinum ſpecularem*, *Spiegel-Karpf*, ob maculam auream ſub ventre, in *Cyprinum nigrum* & *flavum.* Eſt piſcis vitae admodum tenacis, & ſi aërem humidum reſpirare poteſt diu ſervatur in cavaedibus humidis, reti & muſco madido injacens, ſuſpenſus, roſtro & capitis portione prominente, pane lacte macerato nutritur & pingueſcit. Derham *Theol. Phyſ.* L. I. C. II.

Squa-

Squamoſi, unica circa medium dorſi pinna flexibili, oblongiores.

GOBIO *fluviatilis* G. 159. C. 100. *Gresling, Kruſchling.*

ALBULA *minima* G. 189. *Halecula* C. 61. *Nacht Fiſch.*

LEUCISCUS G. 162. C. 93. *Wingere.*

CAPITO, *Squalus fluviatilis minor.* G. 170. C. 85. *Haſel.* Variant parumper Capitones qui in Ruſa degunt, & qui in Lacu, inter ſe.

NASUS G. 170. C. 87. *Naſe.*

BARBUS, *Barbo, Barbulus.* G. 171. W. 213. C. 68. *Barbe.*

Squamoſi, unica in dorſo pinna, caudae magis vicina, flexibili.

LUCIUS G. 175. C. 48. *Hecht.*

Piſces hujuſmodi monſtroſo roſtro quandoque capiuntur, ſed hoc ut plurimum non Naturae erroribus adſcribendum, ſaepe enim vel morſibus cum inter ſe irati congrediuntur, vel cum violentius ſe a hamis liberant, ora adeo vulnerantur ut deformia denuo coaleſcant, hujus originis eſſe autumo monſtroſum Lucii caput mihi redditum, cujus ſupera roſtri pars gibboſa & breviſſima, infera vero maxilla latitudine pollicis longior.

Squamoſi duabus in dorſo pinnis, & una ex his prope caudam carnoſa.

UMBLA *minor*, *Rutilus* G. 190. W. 221. C. 41. *Roethle.*

Eſt quidem apud nos hujus *Umblae* ſpecies, ſed minus ſapida illa quae in Tugiorum Lacu copioſe reperitur, noſtraque veluti quaedam varietas habenda.

UMBLA *major* G. 190. W. 221. C. 39. *Roothele, Roht-Forne.*

TRUTTA G. 173. *rivalis* vel *fluviatilis* C. 35. *Bachforne.*

Celebris eſt Rivus ſeu Torrens è Pilato defluus *Rümling* dictus, ob exquiſitioris ſaporis, & frequentes Truttas, quas ad ſuperos uſque ejus fontes alit.

TRUTTA *ſaltatrix* C. 34. *Springforne.* Varietas ſequentis, ſtatura paulo minor.

TRUTTA *magna vel lacuſtris, ſalmonata*, *Sario* G. 189. W. 219. C. 32. *Grundforne*, *Seeforne.* non adeo rarae ſunt apud nos quae 20. & 25. Libras civiles aſſequuntur.

SALAR

Salar, *Salmo parvus* G. 183. *Sälmling.*

Salmo, *vernalis & æſtivus* G. 181. W. 216. C. 26. *Salme.*

Salmo, *autumnalis & hybernus* G. 182. *Lachs.*

Albvla *parva* G. 188. *Albula lacuſtris*, *Leuciſcus* W. 210. C. 61. *Edelfiſch.*

Albvla *parva* Lacus Sempacenſis, *Sempacher-Baale.*

Expetuntur prae aliis exquiſiti ſaporis hi piſces, nec mirum, ut jocantur aliqui, cum illorum antenates nobili ſanguine ſaginati fuerint, qui adhuc in hodiernis per tradducem vigeat; Praelio enim A. 1386. 9. Junii, cum Archidux *Leopoldus* vinceretur, multi ex ejus Nobilibus, quibus magna copia ſtipabatur, fugitivis, in Lacu iſto ſubmerſi ſunt.

Albvla *coerulea*, *Bezola* G. 187. *Mugil lacuſtris*, *Falco* W. 212. C. 61. *Blauling*, *Alboeck.*

Lavaretvs G. 187. C. 61. *Baalen*, *Balchen.*

Juniores & annui etiam *Nachtfiſch* vocantur, ſine dubio non quod noctu capiantur, ſed in tenebris venundari ſoleant, cum mandato cautum ſit teneros piſciculos Lacui remittendos. Biennes medios vocant *Halbfiſch.* Lavaretus quatuordecim Librarum civilium A. 1601. captus.

Thymallvs G. 174. *Umbra*, *Umbella*, *Aſcia* W. 219. C. 43. *Eſch*, *Aeſch.*

Thymallvs *minor* adhuc *Iſoler*, *Isler*, *Eſchlin* dicitur.

Quam frequens ſit hic optimi ſaporis piſcis ex eo collige, quod eorum aliquando ab unico homine 1550 hamo capti ſint.

Squamoſi, unica in dorſo pinna, parte anteriore non flexibili ſed ſpinoſa, poſteriore flexibili & non ſpinoſa.

Porcvs *fluviatilis*, *Perca fluviatilis minor.* G. 160. *Bachgropp*, *Dorngropp.*

Squamoſi, duabus in dorſo pinnis, anteriori non flexibili & ſpinoſa, poſteriore flexibili & non ſpinoſa.

V Perca

Digitized by Google

Perca *fluviatilis G.* 168. *C.* 65. *Egle*, *Eglin.*

Percula, *Perca minima W.* 215. *Heurling.*

Id eſt *Hornus*, *Cent' in bocca* vocant Itali piſculos minimos menſae deſtinatos, cum plurimi ſimul ſaltem buccam conſtituant. Sunt horum apud nos duae ſpecies; una, quam mox notavimus, ex Perculis tantum hujatis anni conſtans; altera ſpecies *Gliſling* vocatur, a ſplendore ſine dubio, cum veluti metallica mica in aquis ſplendeat: componitur ea quinque piſciculorum tenellorum ſpeciebus nempe *Capitonis*, *Leuciſci*, *Phoxini*, *Blicae* & *Rutili*, ſed haec plebeis deſtinata, cum Percularum minus amaricans melius ſapiat, delicatulus tamen utrumque ſcabroſum edulium diceret.

Laeves, pinna in dorſo unica, flexibili.

Cobitis *barbatula G.* 163. *C.* 97. *Bartgrundele.*

In Rivis noſtræ ditionis in occidentem aeſtivum ſitae, nihil hoc piſciculo frequentius, Lacus noſter quoque eos nutrit. Hunc pro me expeto, Ichtyophagum eſſe ſi lubet.

Cobitis *aculeata G.* 163. *Dorngrundele.*

Tinca, *G.* 167. *C.* 88. *Schley.*

Laeves, pinna per totum dorſum parum vel non interrupta, in caudam excurrente, flexibili.

Lampreda *minima G.* 159. *W.* 214. *C.* 82. *Klein Neunaüger.*

Varietates ſunt majores & minores, craſſiores rubrae, longiores nigrae, juxta aquarum, quas incolunt, bonitatem. In quibusdam rivis Lacum influentibus frequentes ſunt, ſed frequentiſſimae prope *Wiliſovium*, in *Vina* rivo, & effluentibus Lacus *Baldeggani.* Si his piſculis Cobites jungimus carere poſſumus Siciliae Muraenis, Pauſilypi Congris, & Oſtreis Lucrini.

Lampredae *alterum genus G.* 181. *Lampetra W.* 213. *Gros Neunaüger.*

Anguilla *G.* 178. *Fluviatilis* & *Lacuſtris C.* 76. *Aal.*

Vivaciſſimum hoc animal, quod torſionibus excoriatum exenteratumque, & in fruſta etiam diſſectum adhuc vitae ſigna praebet, quodque tamdiu in exantlata Machina Pneumatica reſiſtit,

reſiſtit, facile intra aquas glacie occluſas, emoritur; crediderim non ſolum ob aëris defectum, ſed & ſubaqueum frigus, quod piſcibus, ſi modum exceſſerit, vix non omnibus pernitioſum: maxime autem eorum oculis infeſtum eſt, ut jam Plinius notavit, quorum acies niſi omnino aboletur, pro tempore ſaltem obtunditur.

Cottus, *Gobio fluviatilis capitatus G.* 162. *C.* 98. *Gropp.*
Tipulis inhiat, quarum reliquias diſſectus ſtomachus monſtravit.

Mustela, *G.* 171. *W.* 214. *C.* 71. *Triche*, *Trüche.*
Lacuſtris major profundiora amans aliquando apud nos trilibris, in alio Lacu *Seblisberg* prope noſtrum, octo librarum civilium obſervata. *Lacuſtris minor* circa aquae ſuperficiem natare conſuevit: demum & *fluviatilis* magis laudata; *nigrior* una, *flaveſcens* altera. Saepius accidit ut iis cum ex profundo protrahuntur rana inhaereat, eo ſitu ac ſi piſcem exſugere vellet, hinc aliquibus ſuſpicio orta ambo iſta animalia venerem invicem exercere.

Laeves, pinna inferne tantum ab ano ad caudam excurrente.

Silurus *lacuſtris G.* 184. *W.* 217. *C.* 111. *Scheidfiſch*, *Wels*, *Waeline.*
Satis à Gesnero, Wormio & Cysato deſcriptus. Praeter eum; qui A. 1601. ad radices Pilati in *Alpenacenſi* Sinu captus, non alius, quantum novimus, apud nos viſus: erat is minor adhuc, & trilibris ſolum. Memorat Renwardus noſter noſtro ſimilem Silurum, è Lacubus *Bernenſibus* allatum *Baſileae* vidiſſe, quem in domeſtici fontis cratere aluerat Felix Platerus.

Pedibus repentia.

Cruſtacea.

Astacus *G.* 139. *W.* 221. *C.* 101. *Krebs.*
Gammari caudati dividuntur vulgo in *nobiles* & *ſaxatiles*, hi prioribus minus craſſi. *Rubri* veluti jam elixi in rivo ad *S.*

Digitized by Google

Urbanum A. 1613. capti; in aliquot Lacubus apud nos & rivis *coerulei* inveniuntur, qui cocti nunquam ſatis rubeſcunt.

Apoda.

Teſtacea, bivalvia.

Concha *magna, longa, dulcium aquarum, tenuis teſtae.* G. 167. *W.* 223. C. 110. *Gros Weyermuſchele.*

Concha *minor longa tenuis teſtae, Muſculus aquae dulcis* G. 196. *Klein Weyermuſchele.*

Concha *minor longa craſſioris teſtae, Kleine dickere Muſchele.*

Concha *ſubrotunda*, ſive *Mytulus lacuſtris, parvus. W.* 223. *Kleine Seemuſchele.*

In *Concha minori, longa, tenuis teſtae* Margaritulas elegantes, nitore orientalibus perſimiles, quarum maxima Milii granum aequaret ipſe reperi, adhaerebant autem Conchae tantisper, ſed facile ſeparabantur.

Teſtacea, univalvia.

Cochlea *aquatica trochiformis terreſtri & vulgari ſimilis minor, minima. Gemeiner Waſſer-Schneck.*

Cochlea *aquatica ſtrombiformis, minor & minima. Waſſer-Schraube-Schneck.*

Cochlea *aquatica turbinata minima. Langer Waſſer-Schraube-Schneck.*

Cochlea *aquatica compreſſa minor & minima. Zuſammengedruckter Waſſer-Schneck.*

Cochlea *aquatica plane compreſſa minor, minima.* Haec cornu Ammonis parvum apprime figura exhibent. *Flacher Waſſer-Schneck.*

Addantur cum aptius fieri non poteſt.

Cochlea *terreſtris* G. 194. *vulgaris trochiformis major & maxima, Limax domiporta. Gemeiner Erd-Schneck:* quandoque in vicinia Pilati 9 unciarum repertus.

Cochlea *terreſtris ſtrombiformis minor & minima. Schraube-Schneck.*

Cochlea *terreſtris bucciniformis, major & minor. Blashorn-Schneck.*

Coch-

Digitized by Google

Cochlea *terreſtris turbinata minor & minima. Langer Schraube-Schneck.*

Cochlea *terreſtris compreſſa minor, minima. Zuſammengedruckter Schneck.*

Cochlea *terreſtris piloſa.*

Cochleae terreſtres ſunt vel unius coloris plerumque *ruſeſcentes* vel *fuſcae*, aut *variegatae lineis coloratis ſpiris parallelis*, vel etiam *perpendicularibus*; *aquaticae* autem utplurimum *cinereae* aut *albicantes.*

Demum adjungimus *Anomala.*

Limax *terreſtris major*, *rufus* vel *nigricans. G.* 194. *Weg-Schneck.*

Limax *terreſtris minor cinereus. G.* 194. *Kraut-Schnek.*

Illud porro monere haud omittimus Piſces noſtros & lacuſtres & rivales, affricto modico ſale illico emori, imo breviſſime ipſas tenacioris alias vitae Anguillas; tantum diſcrepat aquarum dulcium & ſalſarum piſcium natura, quodque uni prodeſt alteri nocet idem.

Insecta.

Apoda, aquatica.

Orips, Moufet. *Theatr. Inſect. p.* 322. *Vermiculi* ſeu *Tineae nivis* Wag. 237. *Schnee-Wurm.*

Hirudo *M.* 233. Gesn. *Fiſchb.* 198. *Blutſauger, Blutygel.*

Seta *aquatica*, G. 197. *Waſſer-Kalb. Alba & atrofuſca.*

Vermes aceti. *Eſſig-Wurm.*

Apoda, terreſtria.

Lumbricus *M.* 278. *Regen-Wurm, Mettel.*

Teredo *depes M.* 318. *Kupfer-Wurm, fauler Holz-Wurm,* ſub lignis.

Apoda in Animalibus reperiunda.

Lumbricus *inteſtinalis M.* 282. *Spuel-Wurm, Bauch-Wurm.*

Ascaris *M.* 282. *Kleiner Spuel-Wurm.*
Vermis *cucurbitinus M.* 282. *Kürbſen-Wurm.*
Taenia, *M.* 282. ſeu *Solium. Neſtel-Wurm.*
Eules *M.* 317. *Maden in Wunden und Schaeden.*
Lens *M.* 318. *Niß.*

Pedata, alis deſtituta, aquatica, cruſtata.

Squilla *fluviatilis* G. 197. *Scorpius paluſtris cruſtatus M.* 320. *Waſſer-Muheim.*
Cicada *fluviatilis* G. 197. *Aquatica M.* 321. *Waſſer-Grille.*

Pedata, alis deſtituta, aquatica, non cruſtata.

Tinea *aquatica* G. 197. *Maeſcher, Waſſerſchabe.*
Erucula *aquatica W.* 240. *Rucklin, Lutech.*
Phryganion G. 197. *maximum W.* 229. *Kerdel.*
Xylophtorus *aquaticus minor W.* 239. *Kerdelin.*

Pedata, alis deſtituta, terreſtria.

Bombyx *M.* 179. *Seidenwurm.* Et apud nos ad initium Saeculi Bombycum educationi & Serici proventui ſeriam operam navari inceptum eſt, & hinc etiam Mororum albarum multae arbores plantatae & cultae, inprimis in Suburbio Africum & Pilatum proſpiciente, tandem, ut fieri ſolet in novis rebus, quae non ſtatim omnem ſucceſſum habent, nec forte omni diligentia, arte, & patientia res acta eſt, iterum à cultura deſtiterunt, quae jam de novo ſuſcepta eſt, & omnem ſucceſſum auguramur, licet maxime obſtare videantur Aëris mutationes nimium ſubitaneae, tonitrua, fulgura, quae Erucarum harum ſoboles tenera vix ſuſtinet.

Erucae *glabrae M.* 182. *hirſutae* 185. *Graswurm.*

Harum ſpecies ſunt apud nos plurimae & vix enumerandae in totidem Muſcarum & Papilionum varietates abeuntes,

Agreſtes tineae, res obſervata colonis
Ferali mutant cum papilione figuram.

Pity-

Pitycampa vel *Pityocampe W.* 238. *Tannwurm.*

Spondylus *M.* 249. *Inger, Engerch.*

Ternis annis in Scarabaeos arboreos abit, quamdiu autem intra terram delitefcit, pratis exitioſiſſimum eſt animal, radices herbarum praeſcindendo, pecudi alimoniam è gramine & foeno in ipſa, ut ajunt, herba deſtruens, & ea quandoque copia adeſt, ut ſub unico palmae ſpatio octo decemve detegantur. Nec recens eſt ab hoc inſecti genere agricolis malum, qui illud ab omni hominum memoria è terris ſuis abigere ſatagerunt. Habet contra ea, ſimilesque verminoſas peſtes exoletam adjurationem Felix Malleolus *Praepoſitus Solodorenſis* de *Exorcism. Tract. alt.* 79. *a.* quam hic in eorum gratiam, qui avitae ſuperſtitionis exempla colligunt, vel qui ſanae mentis decantatum in verbis magnam latere virtutem rident, exſcribimus: *Ich beſwer üch Würm by dem Almachtigen Gott: das üch diſe Statt als unmer sy, als unmer Gott iſt der Man, der ein falſch Urteyl ſpricht, und ein rechte kan. In Namen &c.* Celebrior eſt ob expertam efficaciam *Divi* Magni primi Germaniae Apoſtoli *Abbatis Fueſſani in Suevia* Baculus Paſtoralis, quo ſi additis precibus & exorciſmo liturgico terra percuſſa fuerit, ſpondylos eam, totamque viciniam, deſerere plurimi teſtimonio confirmant.

Cossus *M.* 249. *Groſſer Holtzwurm.*

Teredo *M.* 250 *Kleiner Holtzwurm.*

Vermes varii in fructibus. *Würm in Früchten.*

Staphilinus *primus M.* 149. *Kleiner ſchwartzer Erdkrebs.*

Scolopendra *ſecunda. M.* 199. *Ohrenmuttel, Neſſelwurm.*

Scolopendram cum Friburgi Helvetiorum commorarer ex naribus excrevit *Illma.* Matrona Maria Elisab. von der Weid. lectiſſima Uxor *Exmi.* Domini Nicolai de Montenach, *Praetoris,* die 7ma. Febr. 1741. à multis annis in ſinu frontali & ad narium radicem neſcio quid moleſti & titillantis ſentiebat praelaudata, ita ut ſaepius manu frontem fricare cogeretur; vitium actionis aſſuetae ſed inanimadverſae credebant omnes qui cum Matrona converſabantur; vinum ſi bibebat moleſtia major erat, coeterum de dolore notabili ali-

quo

quo haud conquerebatur, tandem inſultu catarrhali cum coryza, febre ſimul concomitatis, & obtuſo capitis dolore 1. Februarii corripitur; adminiſtrantur me praeſcribente neceſſaria remedia; extus Lac calidum impoſitum & ſaccharo permixtum per nares attractum, mucus tandem ſolvitur, emungit viſcidam pituitam, aliquando veluti purulentam, tandem & hunc, non parum attonita, Vermem; quem vivaciſſimum in phiola per aliquot dies adhuc conſervavi, & delineatum ſiſtit *Tab.* VI. *Fig.* 4. in *Indicibus* M. ALBERTI, huc referendae Obſervationes, adhuc aliae occurrunt.

JULUS *glaber M.* 201. & *nigreſcens ibid. Hundertfüſſiger Graswurm.*

ASELLUS *M.* 202. *Millepeda. Holtzſchabe*, *Kellereſel.*

SCORPIUS *M.* 204. *Scorpion.*

Cum Italus quidam animalia haec pro parando oleo venum circumferret, in ſuburbii platea *Schnepffengſtell* ligneis ac antiquis aedificiis conſtante forte ſcatulam ſuam depoſuit, quam neſcio quis curioſulus aperiens, cum plenam Scorpionibus cerneret, ſine dubio horrore perculſus auffugiens, detectam reliquit; Scorpii libertatem nacti magna copia rimoſa aedificia ſubrepſêre, ex quo factum ut aliquot ſubſequentibus annis, aeſtivis menſibus, caperentur.

SCORPIO *minimus non caudatus W.* 237. *Scorpio-Araneus*, FRISCH. *Inſect. P. VIII. p.* 3.

ARANEUS *M.* 217. LISTER. *Hiſt. Gen. Arane. Spinn.* Sat magni multoties occurrunt, ſed longe abeſt ut caput humamanum mole aequent, qualem ad initium praeteriti Saeculi in Arce *Cracovienſi* viſum, & occiſum narrat RZACZINSKI *H. N. R. Pol.* 261.

Araneorum ſpecies hucuſque nobis obſervatae ſunt:

Octoculi, *Aucupes* tendentes *reticula ſcutulata* N. IX.
reticula conglobata N. VI.
telas linteoformes N. V.
Venatores Lupi dicti N. III.
Cancriformes N. I.
Phalangia N. II.

Sexocu-

Sexoculus de quo Wagnervs *p.* 238. nondum occurrit.
Binoculi. Zimmerſpinn. N. II.
Formica M. 238. *Major, Waldhengſt; Minor, Ammeis.*
Pediculus *arboreus* M. 265. *Baum Laus.*
Cimex M. 269. *Wanze, Wentele.*
Ricinus M. 271. *Zech.*
Reduvius M. 272. *Schaafzech.*
Tinea *veſtivora rufa* M. 274. Item *Argentea ibid. Kleider-Schabe.*
Acarus. *Kaesmiette, Milbe.*

Pedata, alis deſtituta in Animalibus reperiunda.

Pediculus M. 259. *Laus. Humanus* & *Brutorum.*

Pediculis affine videtur animalculum minimum, quod in muſca vulgari emortua & omnino exſiccata obſervavi: exhibetur Figura, (*Tab. VI. Fig.* 3.) per microſcopium delineata: magnitudinis erat punctuli, inermibus oculis vix viſibilis, color ex flavo albidus, poſterior corpuſculi pars argenteis maculis conſperſa, antennae longae, *ad baſim nodoſae, oculi duo nigerrimi.*

Syro M. 266. *Seure.*
Acarus *humanus* M. 266. *Finger-Wurm, Umlauff.*
Pulex M. 276. *Floh.*

Alata, Analytra, alis nudis & detectis duabus.

Apis M. 1. W. 224. *Imme, Biene.*
Fucus M. 37. *Humel.*
Vespa M. 41. *Weſpe.* Harum varias habemus ſpecies.
Pseudospheca M. 46. *Weſpe ohne Stachel.*
Crabro M. 49. *Hornauſs.*
Bombylus M. 53. *Groſſe Roſsfliege, Roſshumel.*
Musca *Lupus* M. 58. *Fliege-Wolff.*

Mvsca *carnivora* M. 53. *Aasfliege.*

Mvsca *equina* M. 59. *Roſsmucke*, *kleine Roſsfliege.* Muſcarum plures ſpecies aliae.

Asilvs *apiarius* M. 61. *Wilde-Imme.*

Tabanvs M. 61. *Braeme.*

Analytra alis nudis & deteƈtis quatuor.

Libella *maxima* M. 66, *Media* 68. *Minima* 68. *Perlae. Schillebold*, *Augenſchieſſer.*

Musca *aquatica* M. 69. *Aeſtiva major* W. 229. *Groſſe Bader-Mucke.*

Mvsca *aquatica aeſtiva minor.* *Waſſermucke*, *Rohrmucke.*

Cvlex M. 80. *Flachsmüggle*, *Gelſe.*

Papilio M. 87. W. 225. *Sommervogel*, *Tagſommervogel.*

Adſunt plurimarum ſpecierum, *unius coloris* vel *variegati*, *maximi*, *medii*, *parvi.*

Phalena. M. 87. *Nacht-ſommer-vogel.*

Itidem *maxima*, *media*, *minima* plurium ſpecierum.

Cicada M. 127. *Feldgrille.*

Blatta M. 137. *Maelkaefer.*

Locvsta M. 116. W. 230. *Heuvſchreck*, *Heuvſloeffel.* Sunt ex his *non alatae.*

Cantharis vel Pygolampis G. 197. *Tipula* M. 169. *Waſſerſpinne.*

Major & oblongior habetur pro maſculo, minor & rotundior pro foemina; exſuccum & leviſſimum animalculum in aquarum ſuperficie ſuſtinetur pediculis ſuis in extremitate piloſis, &, uti totum ejus corpus, madefieri neſciis: aqua autem ob ſuam quandam tenacitatem in foveolas a pedibus ejus deprimitur, quae illucente ſole umbras totidem in aquae fundo efficiunt, ut alicui mirum videri poſſit, unicum Tipulae corpuſculum plures umbras projicere.

Coleo-

Digitized by Google

Coleoptera vaginipennia, alis ſub vaginis recondibilibus.

Gryllus M. 134. *Grill.*

Bupreſtis M. 141. *Gueg.*

Scarabæus M. 147. *Kaefer.*

Scarabæus *cornutus* M. 148. W. 236. *Donnergueg.*

Scarabæus *capricornus* M. 149. *Holtzbock.*

Scarabæus *Naſicornis* M. 152. *Eihorn.*

Scarabæus *pilularius* M. 153. W. 233. *Roßkaefer.*

Scarabæus *major aquaticus* Aldrov. *Waſſer-oder Fiſch-Kaefer;* In ulvoſis vivariis & foſſis.

Scarabæus *ſmaragdinus* M. 158. *Goldkaefer.*

Scarabæus *arboreus* M. 160. *Laubkaefer.*

Et è *minoribus* porro plurimi *maculati*, *non maculati* & *variorum colorum.*

Proſcarabæus M. 162. W. 234. *Meyenkaefer*, *Meyenwurm:*

Cantharis M. 145. W. 232. *Spaniſchemucke.*

Cicindela, *Lampyris* M. 108. W. 239. *St. Johann-Kaeferle, Scheinwurm.*

Cimex *ſylveſtris alatus* M. 174. *Gras-Wentele.*

Porraceus, fuſcus, varius ex rubro nigroque: depaſcitur usquedum adoleverit ſpumam illam, quae veluti ſputum herbis & graminibus quandoque adhaerere deprehenditur.

Forficula M. 171. *Ohrenwurm.*

Gryllotalpa M. 164. W. 233. *Erdkrebs.*

Oleribus, & teneris eorum aſparagis, mortiferum animal; hydroleo in cavernas eorum infuſo, vel enecantur branchiis pinguedine obſtructis, vel ſaltem foras in liberum aërem pelluntur, ut capi poſſint.

CAP. VII.

Subterranea Pilati.

Extimi Soli naturam jam ſupra C II. pene ómnem evolvimus: lubet nunc, quae ſuperficie illius occultantur, vel ruinis denudata mineralis originis ſub Dio jacentia occurrunt, exponere. Ubi exculta eſt terra, veluti ad ejus radices in Valle *Eithala,* in clivis ſuperioribus & imis ortum meridiemque ſpectantibus, ceſpitum corium, ut Plinius vocat, tenax eſt nec macrum: colore potiſſimum lutoſo, durum ſi ſiccius & gleboſum: craſſitie autem variat, tenue enim alicubi cui ſtatim ſubeſt arena & glarea vel ſcopulos, alicubi craſſius argillam ſubtus, margamve recondens. In ulvoſis & inter ſylvas econtra nigricat, terra radicibus intertexta denſiſſime, ut Turfae alicujus vicem, imo ipſos ceſpites, ſi penuria ligni id cogeret, aliquomodo ſuppleret. *Hergiswiblae* & prope *Alpenachum* Argilla effoditur *pinguis ſpadicei coloris*, excocta intenſè rubeſcens, ex ea tum tegulæ formantur tum & vaſa tornantur; *lutea macra* frequens circa Montem occurrit ad focos & furnos aptiſſima, quae pictoribus in uſum cedat, nulla hucuſque innotuit, praeter in vicina *Entlibucha* prope *Eſcholmatt* Ocra, de qua Wagnerus itemque Scheuchzerus *Nat. Geſchicht. Tom.* II. 178: medicis vero viribus praeditam unicam profert Pilatus, ſed pluribus aequiparandam, videlicet illud

Celeberrimum Lac Lunæ, quod in duobus Montis noſtri antris abunde colligitur, copioſius autem in illo *Lunare* vulgo dicto, unde etiam à *Cel.* Gesneri temporibus ſub hoc nomine innotuit, qui in *Deſcriptione Montis* & *Libro de Figur. Lapid. p.* 50. ita: „ipſi accolae *Mon-Milch* apellant, id eſt „ *Lac Lunae*, ſed aequius vertiſſent *Lac Montis* à *Mont - Milch*, „ *Mont* enim vocabulum ſemilatinum retinuerunt incolae ad po„ſteriora uſque ſaecula, quod & ex altero adhuc aliquibus in uſu,

„ Montis

„ Montis nomine *Fract - Mont* comprobatur“ de quo Nos C. I. uti & cavernam in qua colligitur, & à qua nomen tulit, non *Mon - Loch* à *Luna*, quae procul dubio hic ſe nunquam abſcondidit, Montis antrum *Mont - Loch* intelligendum, & *Berg - Loch* dicendum credimus; aptius itaque *Berg-Milch* foſſile hoc vernacula vocaretur, quemadmodum ita referente D. Bruckmanno in *Bresl. Saml. A.* 1725. *Mens. Jun.* 632. à conterraneis Comitatus *Liptavienſis* in Hungaria ita nominari conſuevit. Late autem evulgatum jam nomen abolere mihi animus non eſt, ne lites de lana moviſſe videar, licet item Gesnerus *Fungum petraeum* vel *Agaricum ſaxatilem* dicendum etiam loco citato innuat; unde & Ferarntes Imperatus *Hiſt. Nat. L.* V. C. 41. *Agarico minerale* apellare maluit inductus ex figura ejus, & generationis modo, quem Agaricis haud abſimilem credebat; ſed nulla illi antequam colligitur propria aliqua figura ineſt, nam veluti limoſa quaedam & hic magis illuc minus humida cruſta parietibus antrorum inhaeret, quae dum corraditur, in glebas compingi ſolet, caſu non ſtudio Agaricos ſeu Laricis fungos preſentantes, cum quibus tamen & albedine & levitate, ſi ſiccum fuerit, apprimè convenit.

Ante Gesnerum apud nullum Scriptorem, quantum mihi conſtat, hujus foſſilis ſpecifica mentio reperitur: attamen ad *Samiam Terram* ſpectaſſe (non enim in *Samo* Inſula eam duntaxat occurere, ſed & alibi etiam retento nomine docet Agricola) tum color, levitas & caeterae proprietates maxime generationis & inventionis modus locuſque innuunt; nam ex Theophrasto colligimus ſuo tempore venam habuiſſe in longum extenſam, altitudine tripedali, latitudine multo majore, utrinque vero ſaxis obſeptam fuiſſe terram, è quibus ſecernebatur; reperiebatur itaque intra rupis fiſſuram non aliter ac Lac Lunae, quod in Helvetia non ex antris tantum magis patentibus, ſed alicubi etiam ex cautium rimis profertur, ſiccum aliquando veluti Samia, de qua quidem non conſtat humidam in fodina fuiſſe, aquis, à quibus tamen pedetentim

 delata

delata erat, aliorſum elabentibus aut exhalatis; deinde plus minusve omnes caeterae Samiae qualitates Lacti Lunae inſunt, candor, levitas, pinguedo in hoc quidem remiſſa, mollities, adhaeſio ad linguam, ſubdulcis ſapor atque friabilitas, & ſi qua exiſtit parva inter utramque proprietatum diverſitas, quemadmodum etiam inter ipſum Lac Lunae unius & alterius venae reipſa reperitur, à matrice illa petenda eſt; ſaxis videlicet, è quorum continuo aquae ſtillantis madore reſoluta ejus ſubſtantia generatur; calcareae autem potiſſimum naturae eſſe oportet, cum ſaxum ipſum calcareum ſit, & ſubtili terra conſtet; arenoſa autem & micis cryſtalliſatis conſtantia ſaxa non niſi in alias cryſtallinas concretiones elutae ſecedunt, vel ignis vehementia vitreſcunt. Porro ad Samiam terram Lac Lunae ab Agricola, quod *Medullam Saxorum, Steinmargam*, quod idem eſt ac aliorum *Lithomarga*, vulgo vocari ait, cum in venulis commiſſuriſque Saxorum, tum maxime in ipſis eorum cavitatibus incluſum reperiatur, etiam referri videtur; ſcribit enim de *Nat. Foſſil. L.* V. *p.* 78. omnino quas Samia, eam vires habere, adſtipulatur item Imperatus loco citato, Calceolarius *in Muſeo p.* 478. Emanuel Koenig *R. M. p.* 397. Hoffman *in Schroed.* 136. ut itaque optime egerit quisque, ſi terrae huic noſtrae *Samiae* nomen reſtituerit: & in hoc ſaltem ſudor Michaeli Mercato detergatur, de eo conquerenti, quod eadem inter Mineralia res, tam multis nominibus deſignetur, *Metallothecae p.* 14. *Morochtum* autem haud eſſe, nec *Galactiten*, ut in *Deſcriptione Montis* quondam ſe putaſſe Gesnerus *L. de Fig. Lap.* 51. fatetur; ſatis etenim nunc conſtat *Morochtum* notiſſimum illum in Italia ſartoribus loco cretae imprimis uſui lapidem eſſe, & nec quidem terris annumerandum, conſentientibus Imperato & Mercato. Sic quoque cretam, quam *Cl.* Scheuchzerus *Itiner. Alp.* IV. in valle *Underſchaechen* reperiri ſcribit, eſt ipſiſſima *Samia.*

Samia noſtras ſive *Lac Lunae* eſt autem Terra candida, plus minus levis, poroſa & mollis, facile in impalpabilem pollinem

Digitized by Google

pollinem friabilis, linguae adhaerens, & humoris avida, unctuoſa parumper ore commanſa ac ſubdulcis, per aquam, quam lacteo colore inficit, diſſipata vix omnino deſidens; ſi diffringitur, parvis ſaepe cavitatibus ſcatet, quae tenuiſſimos lanuginis cujusdam floccos continent, microſcopio ſi examinentur, filamentis rectilineis & frangibilibus contextos; permeant quoque eam aliquando tubuloſi quidam tortuoſi & cavi ductus, plerumque rufi coloris aſpergine tincti: multoties etiam radicum tenuiſſimae fibrae glebis comprehenduntur. Si ei acidus quivis liquor affunditur, illico ebullit, acetum quoque ea immixta in vappam reducitur. Ignita nullatenus liqueſcit, ſed amiſſa quarta circiter ponderis parte levior redditur, item friabilior & in aëre humido fatiſcens; guſtu tunc acri veram calcem prodit, omnia hujus phaenomena exhibens, ebullit enim & incaleſcit cum aqua, fumigat cum acidis ſpiritibus tetro halitu, & ſali ammoniaco contrita ejus volatile, ſolito odore in auras diſpergit.

Sortitur vero pro locorum, quibus progignitur natura, parvas & ſenſibiles tamen varietates: nam cum calcareum ſaxum potiſſimam illi materiam ſubminiſtret: cumque iſtud ejuſdem qualitatis omnino haud ſit, denſius enim hic, imo ſiliceum ſaepius, illic poroſum magis & veluti ex micis conditum: albicans alicubi, alicubi cinereum, imo multoties & nigricans, neceſſe eſt, productum quoque ſuum variare. Poſtquam enim in Montium ſummis verticibus & jugis abſorbtae nivales & pluviales aquae, ac per rimas fiſſuraſque perpetuo deſtillantes continuo madore calcareum ſal è ſaxis elutriunt, ac ſecum arrepto ſoliditatis vinculo, reſolvunt, terras, quibus ſaxa illa compaginata erant, tantisper etiam variare oportet; hinc aliud Lac Lunae alterum candore vincit, uno paululum flaveſcente: aliud minus poroſum & denſius, propterea etiam alio mollius, levius aliud ſubdulce magis unctuoſum & tenue: quae quidem varietates in una eademque caverna occurrere ſaepe obſervantur, non ſaltem propter ſaxorum ei imminentium ſupradictam diverſitatem, ſed & ſitus ipſius:

quod

quod parietibus immediate adhaeret, compactum magis eſt, minus illud quod extimam cruſtam conſtituit (ad pedis enim craſſitiem aliquando aſcendit, lactea haec tunica) utpote humore huc depulſo adhuc turgidum & foraminoſum; aqua enim ex eo paulatim elabens, vias veluti per canaliculos ſibi aperit, quos ruſo colore plerumque inficit, appoſitis demum aliis quibusdam in ea fluitantibus recrementis, quae pinguis & ſulphureae indolis eſſe crediderim; quod vero antrorum orificio vicinum eſt Lac Lunae, durum illud magis & ſiccum, imo ferme ſaxeum aliquando reperi, ex liberiori aëre denuo ſale ſolidante arrepto, quo terreae particulae iterum vinciuntur; & quam prona ſit ad lapideſcentiam haec terra, tum obſervatione *Cl.* noſtri f. m. Collegae D. Nicolai Langii conſtat *Hiſt. Lap. Fig. p.* 8. qui in antro *Wallenſtock* eam, quae ingreſſui vicina erat aërique magis expoſita facillime iterum induere lapidis naturam docet: elegantes ſimul cryſtalliſationis in modum ope labentis aquae figuras acquirens, muſci foliolis aliquo uſque ſimiles, aut reticulati operis haederae variae ſerpentis ramulos imitantes; tum noſtra quoque experientia, qua didicimus in Pilatinis antris, aquam ramentis illis terreis foetam, & calcareo abrepto ſale adhuc turgidam, ſi juxta fornicum ſuperficiem repens guttatim ex eis deſtillet, ſaxa in pavimento jacentia lapidea & Selenitidis naturae cruſta obducere, quae cum certam quamdam figuram affectet, indicium eſt Pilatinum calcareum habere intra ſe portionem determinatae figurae molecularum, ſalinas videlicet cryſtalliſationem affectantes, quas & flores illi albiſſimae lanuginis comprobant intra parvas cavitates exſiccati Lactis Lunae, ut notavimus, reperiundi; mucorem eos diceres à vegetante illic humore productum, ſed quia igni reſiſtunt, cryſtalliſatione eos progigni certum eſt; haud ſecus lanugine illa amianthea, quae inter cryſtallos montanas aliquando occurrere ſolet, adeo ſaepe copioſa compacta & denſa, ut *Corii montani* nomen promeruerit, & apprime deſcribitur à D. Leopoldo *Itiner. Suec. p.* 36. radicum porro immixtae Samiae noſtrae glebis fibrae, illud maxime comprobare viden-

dentur, neceſſarium non eſſe Hydrophylacia & ſub iſtis aeſtuaria condere ad vapores elevandos & ex his fontes, cum fibrae haec ſatis demonſtrent, aquae, quae ſaxa exſolvit, originem, pluvias videlicet & nives, quae ex ipſo terrae corio hos teſtes abripiunt.

Medicas porro virtutes Lactis Lunae juxta rationem experientia comprobat, abſorbens eſt, acredinem temperans, demulcens, obliniens, ſubadſtringens quoque & exſiccans; hinc externe inſperſum manantibus & ſordidis ulceribus ſuam opem affert, cruſtam lacteam ſiccat, intertriginem tollit, eryſipelata mitigat, unguentis quoque refrigerantibus & exſiccantibus apte admiſcetur. Interne ſaepius in uſu eſt ad moleſtos ventriculi ardores ſopiendos per ſe ſolum vel cum ſpeciebus Diacretae adhibitum; alvi fluxus compeſcit, & eo ſolo quoque Dyſſenteriae non adeo feroces ſaepius ſanatae ſunt, clyſteribus etiam cum hydrogala injectum opem tulit; haemorrhagiis quibusvis, quemadmodum bolares terrae ſolent, ſuccurrit; nitratis & neutris etiam ſalibus admixtum febriles aliasque ebullitiones temperat, urinae ardorem itidem & ſpasmodicas ſphincteris contractiones cinnabarinis additis; noſtris foeminis maxime laudatur ad lactis penuriam & alia ejus vitia, additis maxime lumbricis, cryſtallo, coralliis, ſemine foeniculi &c., cum & nomen illi confidentiam addat. Abſtineo alias de eo decantatas vires recenſere, fideliori experientia renuente: videſis Langii Laudati citatum locum, & ſi lubet Danielis Majoris *Diſſert. de Lacte Lunae*; quondam adverſum quemque morbum cujusvis aegroti ſalutarem eſſe putabant, reſpuebant autem quod in Pharmacopoliis proſtaret, ſed um maxime adjuturum fore, ridicula ſuperſtitione confidebant, ſi expreſſo ejus aegroti nomine ex ipſa ſpelunca colligeretur; quae ſtolidiſſima credulitas mihi ſuggerit memoriam *frigidi Balnei*, de quo jam ſupra, in quod tota fere aeſtate non aegrotantes duntaxat, ſed plurimi nomine & vice aliorum aegrotantium, balneatum confluere ſolent, & poſt tres immerſiones, qua venerunt, re-

 deunt,

Digitized by Google

deunt, dum interea aegrotos & ſuis in lectis domi morari coactos, balneumque adire non valentes, mirum! ſanos evadere perhibent.

Lactis Pilatini raritatem & exiſtimationem non parum minuerunt incolae aliorum montanorum locorum, qui ſuis quoque in patriis ſimile quid aut ipſam hanc terram Samiam reperiri edocti ſunt. Pluribus adhuc in locis Helvetiae colligitur, quos ex *Cel.* SCHEUCHZERI *Natur-Geſchicht. Tom.* II. 185. & ejus *Oryctographia* 107. recenſere ſupervacuum eſt; porro in Germania etiam plurimis in locis ejus ſpecies occurrunt, quos enumerant *Breslauiſche Natur- und Medicin-Geſchichten A.* 1720. *Mart. Claſs.* IV. *Art.* 4. ſub nomine quidem *Farinae foſſilis*, ſed verum illam Lac Lunae exhibere docet *Cel.* LUCAS SCHROECK *in Miſc. Nat. Curioſ. Dec.* III. *A.* 7. & 8. *p.* 353. omnes tamen, quae illic recenſentur, Farinae foſſiles, uti etiam ea, quae ad *Weixelmundam* prope *Gedanum*, referente RZACZYNSKI ad Lac Lunae haud ſpectare, ſed aliquas illarum argillis vel margis adnumerandas. Verum autem Lac Lunae in *Germania* etiam *Ager Noricus* mittit D. BAIER. *Oryct. p.* 176. *Boemiae* montes VALENTIN. *Muſ. Muſ.* ex *Ungaria* imprimis *Comitatus Liptavienſis. Italia* ſubminiſtrat ex *Ilva* Inſula unctuoſitate potiſſimum, quae ei major eſt, à noſtro diverſum: reperitur illic intra rupium fiſſuras, & ipſe A. 1708. infra *Capo-Liveri* collegi; inſulani vocant *Calamita biancha*, *album magnetem*, nam circa hunc lapidem ſaepe jacet, imo hujus terrae venulae eum, ſi minus integer eſt, pervadunt. *Melitenſis* autem *Terra* pro Samiae vel Lactis Lunae ſpecie haberi haud debet, ſtridet enim illa inter dentes craſſioribus moleculis conſtans, & ejus vena ſaxis haud concluditur: eam potius ſpeciem quamdam margae ſemicalcinatae eſſe propterea judico, quia Melitam ex ejectione ignium ſubterraneorum non aliter ac plures ejusmodi Inſulas, imprimis Aegaei Maris, formatam ſuſpicor: cumque terra haec frequentes Gloſſopetras involvat, Carchari videlicet dentes, & ipſos aliquatenus calcinatos, deducen-

Digitized by Google

ducendum eſt, illos ſimul cum terra e fundo Maris fuiſſe protruſos. Verum autem Lac Lunae illa terra ſtatuenda eſt, quam *Norvagiae* montes proferunt, cunctis enim proprietatibus & origine cum Lacte Lunae convenit, de qua vide *Muſeum Wormianum p.* 5. ut & quae in *Anglia* ſub nomine *Litmas* nota eſt, teſtantibus id Almae *Societatis Regiae Transactionibus n.* 179. in *Aſia* porro celebratur *Spelunca Betlemitica*, quam *Lactationis Deiparae Mariae* vocant, terrae hujus ferax, de qua Olfredus Dapper *in Paleſt.* 227. *Sumatram* demum Inſulam Lac Lunae ferre, videmus ex D. Jablonski *Lexic. Techn. p.* 469.

Manus jam Arenae admoveamus: quae ad radices Septentrionem ſpectantes à torrentibus defertur, ex rufo, ſi adhuc humida, ſi ſicca albicantis magis coloris eſt, non admodum craſſa, ſed nec nimium tenuis aut limoſa, bonae ad miſcendam materiam, ut Vitruvius loquitur, notae. Conſtat ea plurimum ſplendentibus & cryſtallinis micis ſemipellucidis, nullius certae, ſed irregularis figurae, juxta intenſe flavas, rubras, cinereas, nigricantes, & omnino opacas, potior earum pars albeſcit. Quidam ictu fluctuum à ſaxis & lapidibus defracta ramenta putant, quod non negaverim, cum ad Pilati clivoſa, ſaxa arenaria non deſint, itemque alia, quae Quarzi aut Marmoris venis intertexta ſunt, aut omnino tales, à quibus deteri arenarum micae poſſunt; hanc autem arenae unicam originem eſſe nequaquam credendum, etenim eam in dies generari ſanior ratio ſuadet; nam poſteaquam continua aquarum elutriatione minimae particulae à duriſſimis etiam ſaxis Quarzi, Marmoriſque abradantur, & aquae vehiculo aliorſum deportentur, ubi ſemel quieſcendi locum invenerint, iterum ſuperficies ſuas adaptando ſeſe jungunt, & cryſtalliſatarum micarum moleculas conſtituunt: quae quidem, nullus dubito, figuram geometricam, quam ratione primigeniae ſuae figurae affectant, acquirerent, ſi locus, ſpatiumque ubi combinantur, aptus ſatis eſſet; imo hoc mo-

do arena quaevis, ſive à ſaxis detrita, ſive uti expoſuimus generata, accedentibus continue aliis aliiſque ramentis, tandem in novum ſaxum, quiete ſatis diuturna nec interrupta, abſcederet. Porro in hac, quam ante nos habemus, arena, quod annotare haud omittimus, minuta ferri ramenta reperimus magnetis armaturae adhaerentia, pauca equidem, ſed ſufficienter demonſtrantia, niſi alicubi minera ſubſit, ſaltem à metallicis halitibus Martis aſpergine Montis ſolum parumper eſſe infectum. Quae in ſummo Montis jugo occurrit arena, craſſioribus fragmentis componitur, imo minutis ferme calculis, irregularis figurae variae & angulatae, itemque varii coloris, rubris, rufis, flaveſcentibus, cinereis, ſed potiſſimum ex flavo albicantibus, quibus alicubi parvae quaedam candidae ſplendenteſque micae, ſeleniticae ſobolis, interſperſae. Arena, quae ex auſtrali latere in alte delabentis torrentis alveo colligitur, moleculis ſplendentibus deſtituta eſt, ex variae magnitudinis granis conſtat, quorum pauca ad cryſtallinam naturam accedunt, ſemitranſparentia, maxima reliqua pars eorum opaca.

Saxorum, quae poſt arenam perpendenda occurrunt, paulo ante meminimus. Vix non omnis generis apud Pilatum occurrunt, videnturque ejus radices boreales nonniſi eorum aggeſtam Monti ſtruem eſſe: quae ubi cortice vegetantis terrae à torrentibus denudata eſt, vel etiam alicubi profundius eroſa, ſolitaria & varia ſaxa cujusvis magnitudinis glarea arenisque permixta & involuta exhibent, raro oſtendentibus ſe vivis rupibus, quarum tamen ſaxa illa fragmina credimus, non niſi aquarum impulſu acutioribus prominentiis & angulis detritis, obtuſa reddita: etenim plurimis rationibus inducimur ea, ſaltem hic locorum, modo illo, quo glebas in lapides concreviſſe obſervavit Peireskius apud Gassendum *in ejus Vita L.* I. & IV. non prognata eſſe; quae vero adhuc anguloſae figurae paſſim etiam & maxime ad pedes

des ſummarum rupium occurrentia exſtant, torrentium jactationes nondum ſenſiſſe, nec iis ad haec uſque tempora volutata perſuaſi ſumus. Sequentia autem ſaxa, vel ſi vis etiam lapides, nam merito ex iis aliqui medio inter ſaxa & gemmas loco poni promerentur, imprimis obſervantur:

SAXA *arenaria minus denſa, majoribus granis lutea & rufa*, itemque *cinerea*, ſunt fragmina rupis arenariae, haud frequenter occurrunt, & in alveis torrentium cito deteruntur.

SAXA *arenaria denſiora cinerea*, vel *caeruleſcentia minimis granis*, ſunt frequentiora.

SAXA *calcarea denſa, granis haud obſervandis, albicantia, cinerea, caeruleſcentia, nigricantia*, quorum ſpecies in Monte frequentiſſima.

SAXA *quarzoſa granis ſubſtantiae albicanti viridibus, rubris* quandoque, *fuſcis* aut *nigris* utplurimum intermixtis: *Geiß-berger* vocant, ſed rectius *Weißberger*, *Leucorea* dicerentur. *Griſeum commune* SWEDENBORGI *Miſcell. Obſerv. p.* 18. eſſe conjicio, licet ille coloratarum micarum nullam mentionem faciat, de hoc ſaxo poſtea.

LAPIDES *Marmorei denſi*, aliqui *cum granis*, aliqui *ſine illis*: *flavi, virides, rubri, fuſci, nigri*, non infrequentes.

LAPIDES *quarzoſi minus pellucidi haud admixtis granis*, ſaepe *fibroſi* aut *laminati: albi, flavi, ſubvirides* & aliorum etiam colorum; horum ſpecies ſunt frequentes.

LAPIDES *Silices, ſubſtantiae veluti corneae, cortice cretoſo, ut plurimum vel ex parte vel omnino detrito:* diffracti potiſſimum ex *flavo rufeſcentes, opaci*, haud copioſi; demum addenda ſunt SAXA & Lapides *varii coloris* & variae, ex ſupra ennarratis, ſubſtantiae venas quarzi vel marmoris, variorum quoque colorum comprehen-

Digitized by Google

prehendentes, qui frequentius etiam offenduntur. Inter poſteriores locandi & illi Lapides, qui decuſſatim albicantes venas in crucis modum habent, pecuarii illis fricant vaccarum vel jumentorum aegrotantium tumentes pedes vel ubera, & ſic ſe illa ſanaſſe putant. Lapides omnino albos quarzoſos ſemitranſparentes aliqui candefaciunt, & in vino extinguunt contra calculos hauriendo, alii etiam & liquamen parant eo modo, & illa intentione, qua liquamen Silicum praeparatur.

Quot expoſitorum modo Saxorum genera ſunt, tot ferme identidem & Rupium Pilati; ad inferas quippe radices hinc illinc exſtant *arenariae*, molliores, ut plurimum lutei coloris; durae magis quae pro aedificiis reſcinduntur, *ſciſſiles* propterea dictae, cinerei coloris quoque non infrequentes; & cujus etiam copia exſtat in ſtratis, quibus altiſſima ſcopuloſa & denudata pars Montis contexta eſt, aliquando haec rupis ſpecies inter arenariam & calcaream ambigit, ſed quae magis *calcarea* omnium in Monte frequentiſſima, cinerei & ſubcoerulei coloris; magnae ejus moles alicubi & longiſſimis ſtratis, ſed hinc inde fiſſis ad Septentrionalem faciem ſupra *Lawelen*, & circa *Caſtelen* ſuſpiciendae; jacent eae in hanc plagam ad horizontem fermè parallelae, reclinantur autem & deprimuntur verſus Africum, quod ex oppoſito Montis latere percipies; his ſtratis aliquando intermedia ſunt alia, ut-plurimum vero minus alta, arenis & ſupra expoſitis miſcellaneis lapidibus quarzoſis, marmoreis, ſiliceis, venoſis, & varii coloris conſtantia, rupis quam conſtituunt ſpecies, ex qua ethymologia ignoro, conterraneis *Nagelſlu*, forte *Hagelſlu*, quia ex calculis ſeu grandinibus compacta eſt, dicitur; mirum autem ſub & infra hujuſmodi rupes calculoſas ſtrata iterum ſaxi arenarii exſtare, itemque & calcarei, per vices multoties ſibi incumbentia; ex quo ſatis denuo demonſtrari credo, Montis totam molem alternis & redeuntibus aggeſtionibus efformatis ſaxis conſtare: cum etenim modo vehementiſſimi torrentis inſtar aquae affluerent, ſtratum calculoſum effectum eſt, ſi minori impetu arenae & ſabulum; ſi remiſſo ſatis

ſatis,terra duntaxat tenuior & limoſa,qua calcareum ſaxum conſtat: quod adhucdum petrificatum licet, colore originem ſuam comprobare videtur, cinereum enim eſt & limo illo ſubmarino non abſimile, quo totum Maris fundum fermè ubique, maxime autem a littoribus magis remotum obtegi obſervavimus; hujusmodi rupes, calcareis quidem ſtratis multoties deſtitutae, in humilioribus locis, ſub minoris videlicet altitudinis montibus aut collibus in territorio noſtro, & ubique fere in Helvetia paſſim obſervantur arenariis & lapidoſis concumulatas aggeſtiones illas demonſtrantes, licet ad horizontem varie inclinatae & alicubi etiam perpendiculares ſint: imo fiſſilia ſaxa arenaria, quibus ad pavimenta utimur, ſibi invicem fiſſuris, modo coelo obverſis, modo varie inclinatis, modo juxta libellam ſuper-in-vel adjacentia, undarum fluctus, ſeu ſi mavis ſulcos adhuc oſtendunt, ex quibus conſtat, juxta quod aliquando ſitum horizontalem obtinuerint per vices ſupraingeſta eſſe. *Entlibuchae* Montes ad occiduam Pilati regionem ſiti, maxime hujuſmodi grandinoſis aut lapidoſis rupibus conſtant: ſunt autem etiam inter eas, quae ſolitariis ſaxis variae ſpeciei parum cohaerenti ſabulo commixtis componuntur.

Leucorei ſeu griſei porro & quarzoſi ſaxi rupes aut ſtrata praedeſcriptis intermixta hucuſque in Monte haud obſervavi; qua tamen ſaxi ſpecie ſummarum Alpium Nodus, & qua altiores ſunt ejus propagines unice compinguntur: quodque admiratione non caret, alicubi in Pilati radicibus ſolitaria ejus fruſta offendi: quemadmodum etiam non infrequentia ſunt in infimis vallibus, & longe à montibus qui ex eo conſtant, remotis planitiebus ad extimam terrae ſuperficiem ſparſa: ex quo nobis nullum dubium eſt, inundationum fluctibus eſſe deducta, ulterius delata lapidum & arenarum concomitante colluvie, ita ut nunc extimo ſolo injacere videantur, niſi forte aliquis aſſerere malit, coelo delapſa eſſe ſaxa haec, imo ſuperaddere Vorticibus abreptos Cometarum nucleos eſſe. Non parum quondam haec ſaxa ſolitaria, noſtrae regionis arva & prata vaſtaverunt, ſed jam jam rara occurrunt: millena enim, agros colendi

Digitized by Google

colendi ſedulitas incolarum, pulvere pyrio disjecit, & evexit; minora fruſta in muros adplicata, aptiora & majora ad poſtes, ſcamna, ſcalarum gradus, ad limitum metas & obelos & hujuſmodi in aevum duratura, applicata ſunt: ex majoribus fontium crateres paratae: ad farinae molas rara ejus ſpecies durior occurrit, ſed & aliquando etiam ad hoc apta.

Caeterum quae expoſuimus ſtrata non undequaque per Montem ſe manifeſtant, alicubi etenim oblitterantur, Caute tantum illa Monti communi magis, calcarea videlicet, adparente: ubique praecipiti & prominentibus ſcopulis ab imo ad ſummum horrida; in ſecundario autem, quod C. III. deſcripſimus, Montis jugo magis manifeſta ſunt haec ſtrata, ſed & ea interrupta, ac hiatibus reciſa, ut quiſque etiam harum rerum vix attentus non conjecturet, ſed ſtatuat à Natura ruinis laborante, & non niſi imis collabentibus terrae fundamentis Pilatum eſſe productum; inprimis etiam, quae conjecturamus, oſtendit & comprobat famoſa illa ſubterranea Pilati ſpelunca, quam *Antrum Lunae* plebejo nomine vocant, Lactis ſeu Samiae quam deſcripſimus Terrae ferax. Hiat hoc in meridiei obverſi recta fere aſſurgentis & perpendiculari quaſi altiſſimarum rupium parietis, anguloſo receſſu, quem ſine dubio ruinoſa & hiulca Montis pars collabeſcens, & in ima quondam defluens denudavit, Cavernamque hanc detexit, quae & ipſa non niſi immanis quaedam fiſſura & hiatus eſt, interraneis ruinis ampliatus; arduus & difficilis ad eam acceſſus, nec aliter quam per ſcopuloſa reptando aſſequitur. Ex Barometri fide circa 5000. pedes ſuper marino horizonte elevari aſſumimus: quae autem adhuc ſuperinjacet rupes, & reliqua montis portio 500. pedes etiamnum altam judicamus; cui latum & herboſum ſolum injacet, & quod obſervatione magis dignum, clivoſa parumper illa amplitudo *Widerfeld* dicta, ad ſubjecti antri perpendiculum terminatur, ex quo deducimus aquas in illo ſtagnantes ex ſupera hac montis ſuperficie à nivibus pluviisque delabentibus per fiſſuras, quibus ferme tota ejus

craſſities

Digitized by Google

craſſities tranſverſum finditur, derivari, quarum ope pedetentim & indies reſoluta ſaxorum ſubſtantia, & elutis ſolidificis particulis quemadmodum paulo ante expoſuimus, Lac Lunae generatur. Propterea etiam qui ex antro effluit collectis ſtillicidiis rivulus deguſtatus, durus eſt & ſaxum ſapit manifeſte, aut aquam calcaream. Ne ampla dictione Cavernam minutius deſcribamus, luſtremus ejus Iconiſmos (*Tab. VII.*)

Fig. 1. Facies rupium cum Oſtio antri.

Fig. 2. Antri Oſtium, è quo in eo deſtillans aqua in rivulum collecta inter ſaxa & ſcopulos defluit.

Fig. 3. Antri interior facies: hujus fornix ſatis aequalis nec impolitus, nec multum rimoſus, ad ſiniſtram arcuatim reclinatus, ad dextram autem perpendiculari pariete clauſus, quo, veluti fornix, ubi altiſſimus, ſuſtentatur. Fundum ſeu ſolum verſus Oſtium inclinatum conſtituunt innumera ſaxorum majora fragmina, ſuper quae alicubi, illic nempe ubi aqua ex fornice guttans delabitur, Selenitidum cruſta obſervatur, in extremo hujus veluti hypogaeo ad dextram foramen ſeu fiſſura patet, ſed ob anguſtiam immeabilis: ad ſiniſtram alia ſatis patens, quam erectis aliquouſque ingredi licet.

Fig. 4. Ichnographiam ſiſtit, &
Fig. 5. orthographicam Antri ſectionem.

A A. Oſtium.

B. Fiſſura rupis, per quam ex alto lumen illabitur modicum, tenebrae enim interiora magis occupant, non niſi facibus diſcutiendae.

C C. Cavitas Antri.

D D. Cuniculus plus minuſque patens, ſolum ejus ſaxorum ruina conſtat, ut antri majoris; ſuperne ſaxa hae-

Digitized by Google

rent, quae inter hiatus & rimae è quibus aqua deſtillat, laterales autem parietes, copioſo iſthic Lacte incruſtantur.

EE. Saxum cuniculum ferme occludens orificio arcto ſatis relicto, per quod tamen pronis irrepere conceſſum.

FF. Cuniculi continuatio, quo tamen terminetur incompertum 400. paſſus aliquos proceſſiſſe narrabatur, tandem adeo in anguſtum abire, ut ulterius explorari haud poſſit. Ajunt etiam eo uſque penetraſſe quoſdam, ut facile vaccarum tintinnabula audirent, quae in Alpe *Brunlen* in latere Montis ſeptentrionem ſpectante pabulabantur.

Caeterum ſolitam ſubterraneis cavernis aeſtate etiam media frigidam aëris temperiem annotaſſe haud omittimus, in antro quoque noſtro obſervandam, quam propter ſubitaneo ingreſſu aeſtuante ex anheloſo aſcenſu corpore facile quis animi deliquium contraxerit, ab ingnavi pleniſſima frigoris aura, calore illico ad centrum repulſo; quod id ipſum aliquibus ex ſociis acciderat. Hyemalem autem temperaturam mitiorem in antro eſſe malo arguere, quam exploratum ire; potiſſimum quoque ex illo argumento, quod nulla iſthic ſpiracula, per quae aër concitatius mearet, animadvertimus, nec aeoliae alicujus cryptae naturam: in oppoſito autem ad orientem Monte *Blum-Alp*, ex fiſſura rupium adeo gelidus, urente etiam canicula, flatus erumpit, ut carnes illuc adſportatae aliquamdiu recentes conſerventur. Aliae etiam hujuſmodi cryptae ſeu potius fiſſurae in vicinia celebrantur ad pedem Montis *Burgen* in rupe, quam Lacus lambit, ex quibus unam aptaverunt, qui frequentius praeternavigare ſolent, ut hydriam aqua plenam tepida quidem & lacuſtri ante fiſſuram ponant, utque frigida fiat, qui mox ſubſequuntur, ſi ſitiunt, poſtquam ebiberunt, denuo lacuſtri repletam ad orificium ponunt, ſic & ſubſequentes inveniant hauſtum, quo ſe refrigerent.

De

De altero autem Montis Antro, quod ex latere orienti obverſo ſummis in rupibus hiat, plura afferre non poſſum, cum ob loci difficultatem illud explorare neglexerim; anguſtum ei orificium eſſe referunt, qui adiere, interne ampliari, demum etiam rimoſum eſſe, atque in fiſſuras abire: aquam quoque ex alto frequentibus guttis decidere & advecto Lacte Lunae parietes undequaque obtegi, & multam in ejus ſolo Selenitidis cruſtam generari.

Saxis jam pro modulo evolutis ad Lapides nos convertimus, & primo quidem ad *Selenitidem*, quo uti meminimus, ſaxa in antrorum pavimentis jacentia incruſtantur. Opacus is eſt, coloris ex luteo candidi, ſuperficie adhaerentibus albicantis terrae particulis impolita, figura exterior ei angulоſa prominentibus trihëdricis angulis ſolidis, propemodum quam vitriolicae cryſtalliſationes affectant, quarum indolem etiam oſtendit diffractus, planis & angulis ſolidis promiſcue jacentibus, imo ſulcis per plana excurrentibus, iis omnino ferme reſpondens; argumento, aquarum globulos Selenitidem componentes rhomboideo-parallelepipede diſpoſitos, & comprehenſas moleculas, eas in ſaxeam ſoliditatem colligentes, octaëdra minus regularia eſſe, hedris ad globulorum aqueorum convexitatem concavis, ſex angulis ſolidis in globulorum commiſſuras excurrentibus, ac oblique ſibi reſpondentibus; dixi aqueorum globulorum, aquam enim magna parte lapidum texturam ingredi, pro certo habemus, inprimis autem, qui cryſtallinae naturae; quod quidem hic pluribus demonſtrare & experimentis comprobare abſtineo, cum hoc alibi egerim. Caeterum aquarum per Montium fiſſuras & hiatus in cavernas ſtillantium eam indolem eſſe, ut facile in cryſtallina hujuſmodi corpora ſecedant, multiplici obſervatione conſtat; ex itinere enim ſuo advehunt ſecum quae exſolvere ramenta ſibi commixta, quae ſi magis minuſve regularis figurae fuerint, &

 ſimul

Digitized by Google

ſimul cum aqua quietem iterum nanciſcantur, denuo ejus globulos amplectendo, ſeque juxta planas ſuas facies, impellente placida aetheris motitatione, conjungendo, in lapidem ſecedunt: & quidem diaphanum magisque figura geometrica regularem, ſi non nimis praepropere atque foras repulſi, quae alterius figurae fuerint, coaleſcunt: opacum vero ſi cryſtallificus ille latex variis & diverſis, copioſisque nimium turgeat, avidiusque ſolideſcentiam ambiat.

Selenites alius ob offuſcatam diaphaneitatem albicans, in fruſta itidem rhomboïdeo-parallelepipeda ſecedens, & veluti lamellis, ſed ob fragilitatem non facile fiſſilibus, contextus, etiam ultra Pilatum & paulo ſupra *Heiligkrütz* in Entlibucha reperiundus.

Cum de Selenitide hic ſermo: illius ſpeciei non meminiſſe haud poſſum, qui in Neapolitani Regni Provincia *Abruzzo citra* reperitur: utpote ejus generationem, modo quem expoſuimus luculentiſſime oſtendens. Supra Oppidum *D. Marchionis* Malvezzi Bononienſis *Tarantam*, quod etiam *Tarantola* & *Taranta Felice* nominatur, (ſed infeliciſſimo fato Terrae motu A. 1706. 3 Novembr. è fundamentis ferme dejectum, cujuſque miſerandas ruinas anno ſubſequenti perreptavi) ampla quaedam vorago ſurſum in Majellam Montem, ob molem ſuam & altitudinem celebrem, aperitur; exſtant in ea ex orientali latere duo praegrandia antra ſeu cryptae, quarum *del Bove* una, altera *del Cavallone*, dicitur; in utraque ex fornicis fiſſuris aqua jugiter deſtillat, & in pavimentum delabitur, in quo illa ſubſiſtens, vix non omnis in Selenitidem dureſcit; eſt autem ille adeo elegans, ut inter rariores lapides, & primos poſt pretioſos habeatur, amethyſtini coloris translucidus ferme & planis ac veluti fiſſuris intermediis, ſoliditati tamen nihil officientibus, tam varie & eleganter ludens poſt inductam polituram, ut ab illabentibus lucis radiis innummera veluti ſpecu-

Digitized by Google

ſpecula, undae fluctus, & elegantiſſimos Iridis colores omni ex parte, qua aſpicitur, recenti ſemper ſpectaculo reſplendentes exhibeat: in varias propterea formas, cum non adeo durus ſit, elaborari conſuevit, & magnatibus vendi; in tabulas videlicet latas ac menſas, mire ſculptis & inauratis trapezophoris imponendas, non operiendas, ut Olus ille apud Martialem *L.* X. 49. conſueverat, ſed ut elegantia & pretium in admiratione ſint; exſcinditur quoque & in Urnas, Crateras, Spondea, & alia ejuſmodi Corinthiaca ad magnificentiam duntaxat, non vero ad uſum aliquem, deſtinata Vaſa praegrandia, ad antiquorum imitationem, qualia Bayfius deſcribit, & quibus Principum Auguſtalia & Aulas ornatas vidimus. Exſcinditur autem ex antri pavimento per ſpatia & intervalla, ita ut cum hic eximitur, illic interim denuo concreſcat, quod ad 3. palmarum altitudinem biennio fieri ſolet. Sed redeamus ab excurſione in *Majellam*, alias etiam *il Grad Saſſo d'Italia* dictam, de quo Monte adhuc alia memoranda ſupereſſent.

Oſteocolla cylindracea cavitate terra alba, Lacte Lunae ſimili, referta: ex ſuperis Pilati radicibus prope *Scharnis* effoſſa, aliquando copioſe allata, cum ad Stalactites pertineat, iſthic memorata.

Cryſtallus montana, cujus quidem venae aut antra in Monte nulla hucuſque detecta ſunt, nec vix aliqua reperiunda ex eo arguo, quod Pilatus ſaxi illius quarzoſi, *Leucorei* à nobis dicti, rupibus, quantum mihi conſtat, deſtituatur; non enim alibi, niſi intra hujus ſpecies ſaxorum cryptas ac fiſſuras naſcitur: cumque Alpes ſummae non alio ſaxo conſtent, propterea in iis tam frequentes occurrunt Cryſtalli verae: ejus tamen minora fruſta ſolitarie jacentia, ſed obrupta baſi, ex quo montanas eſſe conſtat, aliquando in inferis locis circa Montem reperiuntur; elegans ejuſmodi fruſtum quondam reperit ipſe f. m. Parens meus in villa proxime ad Lacum ſita *Stutz*.

Fluores cryſtallini parvi, quos Montis jugum in orientem excurrens, Alpes quae *Steugli* vocatur, praebet, bicuſpidati, hexagoni hedris columnaribus exiguis, vel omnino deficientibus. Indicium praebent parvae hae Cryſtalli, ni ipſum Leucoreum ſaxum in vicinia exſtet, ſaltem Quarzi venas aut hujuſmodi naturae arenarium ſaxum, aut ſabulum alicubi adeſſe, generationi earum materiam praebentia; in *Cryſtallographia* autem mea demonſtratum exſtat, ex globulis aqueis in triangulum diſpoſitis hexagonam baſim conſtitui, quibus ſi alii & alii intermediis ſpatiis ſuperaccumulata ſint, ita ut ſuperi ad inferos, (medium inter perpendicularem & horizontalem) angulum 45°. conſtituant, non tantum columnam ſolidam, globulis ab interſperſis lapidificis moleculis colligatis, ſed & hedras progigni, per tranſverſum ſtriatas, ac etiam angulum ſolidum extremum 75°. graduum proxime evadere planis pyramidalibus politis, eo ipſo modo, quem in cunctis veris Cryſtallis obſervamus.

Lapidum adventitia figura gaudentium minus equidem, quam alii quidem Helvetiae montes, ferax eſt Pilatus: habet tamen & is Monumenta omni aere perenniora, quibus teſtatur marinis rupes ejus quondam undis aggeſtas, & diluvianam Cataſtrophen, cujus toto Orbe tam luculenta veſtigia exſtant, expertum eſſe. Peregrinantur enim, ut cum Tertulliano loquar, inter Pilati ſaxa advenae exuviae, natales ſuas in Mari ante ſaecula habuiſſe commonſtrantes: in aſcenſu ex *Vorſtaffel* aut *Froſtafel* ad ſuperam alpem, & in *Widerfeld* offendimus:

Pectinitarum praegrandiorum modulos arenario ſaxo, luteo, griſeo, majoribus granis, affabre impreſſos, convexos & concavos: plurimos ejuſmodi poſtquam confringitur majores vel minores, oſtendit ſaxum: teſta quidem comparet nulla, utpote aqua ſaxum illud poroſius permeante exſoluta, & teſtacea ſubſtantia inter ejus poros diſperſa, quod quidem in caeteris fere omnibus figuratis arenariis ſaxis obſervamus, figuras marino-

marinorum abſente utplurimum teſta exhibentibus; prope *Wiggen* noſtri territorii caſtello ſaxa exſcinduntur arenaria, *Conchitarum laevium* & *ſtriatarum*, *Cochlitarum*, & *Strombitarum* modulis plena, nullo teſtarum utpote conſumptarum veſtigio: integris & raro laeſis, ſimul cum commixtis *Gloſſopetris* ſeu *Carchariae dentibus*, quarum ſolidiſſima cruſta-oſſea videlicet, quibus inveſtiuntur, exſolvi haud potuit.

Pectinites Pilatinus atro duriſſimo calcareo ſaxo, aut lapidi aquis volutato immerſus, albo colore in terſa ejus ſuperficie apparens, repertus in torrente ex Monte defluente, *Krienbach*.

Oſtreorum fragmenta in lapide nigro frequentia in jugo Montis *Widerfeld*.

Frumentareorum porro *Lapidum* in Monte in loco mox nominato, & plurimis aliis, caeterorum figuratorum penuriam compenſare videtur; his Pilatus non ſaltem maxime qua parte Auſtrum reſpicit, abundat, ſed & in conterraneis locis Super- & Sub-Sylvaniae ad *Sarnam*, *Kerns*, *Buchs*, itemque Entlibuchae vicinis alpibus offenditur; plerumque ei luteus impurus color ulvoſa humiditate & mucedine abſterſa; illum poſt Scheuchzerum & praecipue *Doctiſſ.* Langium noſtrum *Hiſt. Lap. Fig. p.* 71.* latius deſcribere ſuperſedemus; conſtare is mihi videtur ex aquarum rotatione confractis comminutisque magis minusve multiplicis ſpeciei & variae magnitudinis marinorum animantium teſtis, limo quodam, poſtmodum lapideſcente, irretitis, & in rupes principio minus ſolidas congeſtis: quae cum poſtea ſubſequentibus injuriis aquarum nempe irruentium, & ruinarum concuſſionibus denuo diſruptae fuerint, in fragminum ſuorum ſuperficie, quas nunc admiramur, figuras exhibent varias, juxta ſitum pronum vel obliquum vel perpendicularem fragminum ipſarum teſtarum: & quia harum ſubſtantia durior

* Add. *Cel.* Jo. Gesnerum *Diſſ. phyſ. de Petrificatorum Differentiis & varia Origine &c. Tigur.* 1752. *p.* 31.

rior eſſet conglutinante eas lapide facto limo, mirum non eſt prominere tantiſper fragmina haec ultra communem ſuperficiem : imo quia & ipſas teſtas componentes cruſtae aut tunicae durioribus & mollioribus laminis veluti ſtratificatae ſunt, neceſſario etiam figurae illae ſtriatae evadunt, exeſis infra duriores lamellas mollioribus, ut proinde ſeminum aliquorum figuram, iisque quae ab umbelliferis geſtari ſolent, ſtriis & ſulcis aliquousque ſimilem emergere neceſſe ſit, prout valvae teſtarum ad extremas oras abruptam portionem in lapidis ſuperficie oſtendunt.

Praeter hunc *Frumentarium* non adeo ſolidae texturae, quin in fruſta disjici facili negotio ſe patiatur, ſunt Monti noſtro *calcareae* cautes ferrum ferme omnes reſpuentes, & veluti *marmoreae* cinerei coloris, quae immerſas marinorum animalium teſtas intime concludunt, quarum non niſi Lentes, Lentium ſegmenta convexa, concava ſeu Meniſcos per tranſverſum ſectos, referunt; occurrunt hae rupes paſſim & ab iis liberata ſaxa, luculento iterum teſtimonio Montis molem non niſi ſedimentis & aggeſtionibus poſtea una ex parte in altum ſublatis altera ad imum reclinatis, ſuam debere originem ; quam demum opinionem maxime confirmant *Piſcium* quorundam ſimiles in ſolidiſſimis item cautibus ſpectandae *exuviae*, è vivo rupis pariete in ſummo jugo, orientali ſupra *Krezalp* prominentes.

Vegetabilium reliquias diluvianas Pilatus hucuſque mihi nullas obtulit, & qui prope *Greppen* ad Lacum noſtrum, itemque cis *Wertenſteinam*, Fagorum Quercuumque folia ſaxeo coagulo involuta geſtant *Tophi*, nec iſtius originis ſunt nec areae, quemadmodum etiam ſuper promontoriis Lacus *Hertenſtein* & *Tanzenberg* prope Regium Montem reperiundi *Odontoïdes*, itemque *Ammonis minora Cornua*, non unius ſpeciei, ut plurimum marcaſitacea aſpergine decora, quae Alpes aliquae in Entlibucha praebent.

Illud

Digitized by Google

Illud vero *Ammonis Cornu* magis hujus loci eſt, quod quondam ſeu cimelium in templo *Sylvae Dei* ad Pilati radices ceu hoſpes aſſervabatur: repertum id fuit intra ferrugineum ſaxum *A.* 1660. 27. *Auguſt.* in Martis fodina apud Uranios, quam *Schwarzen-Erzberg* nominant, erat 17. pollices longum, latum 15. cumque ſtriae in eo ex helicis ductu prodeuntes radios aliquomodo imitari viderentur, & ſolem quodammodo radiantem ejusmodi qui Sanctorum imaginibus circumponi ſolet, pro miraculo pluribus habebatur, & eo maxime quia iconis, Deiparam infantulum ulna geſtantis, lineamenta in centro exſtarent; etenim in figura quam Nobilis Vir Conradus à Sonnenberg *Deſcriptioni* hujus lapidis praefixit, (v. Scheuchzeri *Bibliotheca Scriptor. Hiſt. Natur p.* 109.) iconculam mire exornavit chalcographi ingenium vel devotio. Antiquior quidam iconiſmus, in quo obſcuriores duntaxat hujuſmodi imaginis tractus exſtant, forte & iſti quoque adhuc non ſine adulatione, $\frac{1}{8}$. naturalis magnitudinis forma exhibetur *Tab. V. Fig.* 1. & quia Lapis ipſe, neſcio quorſum diſtractus eſt, de eo plura referre non valemus, hoc ſaltem monentes figuram illius in *Mundo Subterraneo Tom.* II. *p.* 52. exſtantem ipſa adhuc *Sonnenbergiana* multo eſſe exornatiorem.

Metalla oſtendiſſe magis Helvetiae, quam dediſſe Naturam, recte effatus eſt Daniel *Eremita* in *Deſcriptione Helvetiae Collectionis Elzevirianae*: eſtque altioribus montanis tractubus connatum iis fere ſterileſcere. Teſtes praeter Alpes ſummas Pyrenaei, Carpatii, Andes: haud itaque mirabimur, ſi Pilatus tam exigua alicujus veſtigia hucuſque oſtenderit: nam praeter rara *Pyritis globularis* fruſtula, & *arenae commixtae ferri miculas* aliquid aliud nondum prodidit; in propinquioribus vero Entlibuchae, ſed jam minus altis Montibus veſtigia, at inculta adhuc, patentiora occurrunt; Supra *Schupfenam* in *Frauenthal*, *vena Martis* ampla rupis

 adinſtar:

adinſtár: ad *St. Crucem*, *ejusdem minera globularis* occurrit ſuper jugis quae Pilatus ad Africum habet, in *Krenteren* & *Bodmeren* Alpibus longam nec non & latam metallicam venam exſtare relatum eſt, *Auri* etiam indicia praebentem, ut & haud procul quae *Cupri* & *Argenti* cum adjacente *Spatho*; ex oppoſito Pilati orientali latere ad Regii pedes & ſpondam Lacus *Aeris* halitus lapidibus aſperſi paucos ante annos ſe prodiderunt, ſed iſta nobis extra Montis noſtri pomeria ſunt. Magis aliquomodo ad eum referendum *Aurum* illud à natura *Obrizum*, quod *Emmanum* ab *Emma* fluvio nominatur, qui Septentrionales ejus imas radices praeterlabitur; micae ejus ex arena primo elutione, deinde Mercurio colliguntur, quo ignis opera depulſo coaleſcunt: unica adhuc alterave cum Antimonio fuſione in Aurum 22. caratorum colliqueſcentes; eo & *Rusa*, in quam *Emma* dilabitur, ditatur, & è qua imprimis colligitur, ubi recentes arenarum tumulos, facta alicubi riparum eroſione, fluctus aggeſſerunt, ad quos aurilegi certa lucri ſpe confluunt, quod ſaepe unico die unius cum dimidio, aliquando duorum etiam florenorum eſt. Mandato adſtringuntur, qui colligunt, ut publico aerario emendum adferant. Auri hujus originem quod concernit, vix aliam ſtatuere licet, quam illum Montium nodum, quouſque cum aliis jugum ſuum ex Africi regione protendit Pilatus; qui enim ex illo Montium cumulo ſeu nodo defluunt fluvii, tum *Emma Entlibuchana minor* quae in Septentrionem, tum *major*, quae per Bernenſem agrum verſus occaſum excurrit, aurifera arena ambo ditantur: imo & *Arola*, quae imum illorum Montium lambit; retulimus quoque paulo ante Auri venarum circa ipſum hunc nodum veſtigia exſtare, quis poterit, ſubeſſe etiam alicubi ditiores adhuc incompertas, abnuere? aut ſaltem aliquando fuiſſe, nunc ruinis deletas, torrentibusque abreptas, & in minima ramenta diſcuſſas, quemadmodum comprobare videtur, quod intra ſolum totius planitiei *Rusae* adjacentis diſperſum hoc aurum ſit; ſi illud in dies intra has terras excoqueretur, vel à diluviana illa univerſali illuvie diſperſum

ſum eſſet, non in aliquibus duntaxat, iiſque numero paucis, fluviorum alveis tam copioſe reperiretur.

Ex Mineralibus Succis nulli ſe manifeſtant, quibus Pilati interranea foeta eſſe deducere liceret, niſi forte *Sulphur* fontibus, de quo jam in Hydrographia, commixtum. *Nitrum* ſi velis adjungere per me licet, matrix enim illi frequens eſt in ſtabulis circa Montem. *Salis vulgaris* indicia in vicina Entlibucha exſtare, relatum aliquando fuit, ſed inani in hunc diem rumore.

Lithantrax demum in vicina Entlibucha reperitur, ad rupes, ad quarum imum rivus *Fontana* dictus, hic illic veluti Agaricus quidam excreſcens, ipſe è cautibus decuſſi: difficulter ignem concipit, facile in fruſta disrumpitur, nulli itaque uſui aptus.

CATALOGO STIRPIUM MONTIS PILATI

pag. 79. ſeqq. tradito inſerantur ſequentes Plantae.

Pag. 87. poſt lineam 28.

HELIANTHEMUM folio Serpylli, flore majore aureo odorato *Inſt.* 249. 2. Helianthemum foliis ad caulem ovalibus, inferioribus longe ellipticis H. S. H. 359.

Pag. 88. poſt lineam 19.

SAXIFRAGA alpina ericoides flore purpuraſcente *Inſt.* 253. 11. Saxifraga foliis ovatis, quadrangulo imbricatis, ramis procumbentibus H. S. H. 403.

Pag. 89. poſt lineam 17.

JUNCAGO paluſtris & vulgaris *Inſt.* 266. Triglochin fructu tenui H. S. H. 258.

Pag. 91. poſt lineam 3.

QUINQUEFOLIUM album minus alterum *Inſt.* 297. 4. Potentilla

Digitized by Google

tentilla foliis quinatis, apice retuſo ſerrato petalis albis oblongis ellipticis H. S. H. 393.

Pag. 93. poſt lin. ult.

TRIFOLIUM montanum lupulinum *Inſt.* 3. Trifolium racemis ovalibus ſtrepentibus maximis, caule erecto non diffuſo H. S. H. 581.

Pag. 97. poſt. lin. 10.

GNAPHALIUM foliis anguſtiſſimis, caule non râmoſo, brevi ſpica nuda ſubfuſca terminato H. S. H. 700. n. 6.

Pag. 100. poſt lineam 11.

CARLINA polycephalos alba *Inſt.* 500. 3. Cirſium alpinum ſpinoſiſſimum, floribus ochroleucis inter flaveſcentia folia congeſtis H. S. H. 679. Tab. XX.


Pag. 102. poſt. lin. 9.

SCIRPUS montanus capitulo breviore SCHEUCHZ. *Agr.* p. 363. Tab. 7. f. 18. non autem TOURNEFORTII. 8. Scirpus caule duro ſtriato, ſpica bivalvi minima H. S. H. 249.

F I N I S.


Digitized by Google

Tab. I


Antrum Lunare.
Lacus Pilati.
Gemschmatt.
Ober alp.
Culmen ober alp s. Gnappstein.
Alpes Supersylvan.
Schwarenberg M.
Frakmunt
Fräkla Torr.
Fallenwasser M. et Alp.
1000.
2000.
3000 Passus Geo
Italica
Maurit. Ant. Cappeler Delin.
Tob. Conr. Lotter sculps. Aug. V.

Digitized by Google

Tab. 2




ALIS.
dicto ſpectata.

Tob: Conr: Lotter. Sculps: A.V.


Digitized by Google

Digitized by Google

Tab.V. Tab. IV.




Echelle de 1500. Toiſes
300 600 900 1200 1500
Lieuë de 2378 ts.
598 ts.
Toiſes d'Elevation depuis le Lac de Lucerne.
Toiſes
Pieds
Stansſtad
Rotzloch
Lopperberg
Grat
Renk
Alpnacht
Steigli-Eck
Eſel
Oberhaupt
Matt-horn
Klimſen-horn
Romlis-horn
Gämſchmättlin
Käntzelin
163 3
258 2
210 –
206 4
868 –
950 4
934 2
896
785 2
961 –
898
877 3



Digitized by Google

Digitized by Google

Fig III. Tab. VII.



Digitized by Google

LIBERTE ET PATRIE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google